& Ciciliam, confirmans Eccleſias, & præcipiens cuſtodire A præcepta Apoſtolorum, & ſeniorum. *Act.15.& 16.*

In eremo Caprapicta apud Mauros, per converſationem relegatorum martyrum, Maturiani nimirum, & aliorum, & per prædicationem nominis Chriſti, magna Barbarorum multitudo ad veram pietatem, & Chriſti cognitionem eſt converſa: quemadmodum *Victor* teſtatur *in Vandalica perſecut, lib. 1. Zenone imperante.*

Hilarion vadens in deſertum Cades ad unum de diſcipulis ſuis viſendum, cum infinito agmine monachorum pervenit Eluſam, eo fortè die, quo anniverſaria ſolennitas omnem oppidi populum in templum Veneris congregaverat. Colunt autem illam ob Luciferum, cujus cultui Saracenorum natio dedita eſt. Sed & ipſum oppidum ex magna parte ſemibarbarum eſt, propter loci ſitum. Igitur audito, quòd ſanctus Hilarion præteriret (multos enim Saracenorum arreptos à dæmone frequenter curaverat) gregatim ei cum uxoribus, & liberis obviàm proceſſere, ſubmittentes colla, & voce Syra Barach, ideſt, Benedic, inclamantes. Quos ille blandè, humiliterque ſuſcipiens, obſecrabat ut Deum magis, quàm lapides colerent: ſimulque ubertim flebat, cœlum ſpectans, & pollicens B ſi Chriſto crederent, ad eos ſe crebrò eſſe venturum. Mira Domini gratia non priùs abire paſſi ſunt, quàm futuræ Eccleſiæ lineam mitteret, & ſacerdos eorum, ut erat coronatus, Chriſti ſigno denotaretur. *Hieron.in vita Hilarionis,*

Inter Apoſtolicos viros Ambroſius Epiſcopus Mediolanenſis eruditione, ingenio, ac diligentia in prædicando ita præſtitit, ut facilè perſuaſum ſit, non commentum fuiſſe, quod de illo quondam jactatum conſtat: ad os ſcilicet ejus in cunis jacentis volitaſſe apum examen, ſtridulo tinnitu eloquii futuri ſuavitatem portendens. Hic Aurelium Auguſtinum Manichæa hæreſi tabeſcentem, ſuis prædicationibus purgavit, ſanumque reddidit. Unum tunc hominem convertit Ambroſius ſed in uno homine totum pænè terrarum orbem doctrinæ illius radiis illuſtrandum recepit. *Marul.l.5.c.3.*

Ad Oſualdum Northumbriæ Regem Donevaldus Scotorum Rex Aidanum Epiſcopum Cormano, viro doctiſſimo quidem, ſed concionatori inepto, ſucceſſorem miſerat, cujus concionibus populus ad Religionem Chriſti perduceretur. Cæterùm cùm Aidanus à Saxonibus non intelligeretur. Oſualdus è vicino ſuggeſto interpretem agebat, ita ut ſeptem diebus XV. M. baptiſma ſuſceperint. Aidanus idem Nortumbro- C rum Pontifex dictus, pium gregem & ſacris monitis, & vivendi exemplo erudivit, atque ab Ethnicorum impulſu, additis nonnunquam Dei virtute miraculis, egregiè eſt tutatus. Scoti monachi, ac ſacerdotes, ſacra doctrina inſignes, variis ex locis, ſciente Oſualdo, confluxere ad Aidanum, ut ſanctiſſimo viro in populo erudiendo auxiliares eſſent. *H. Boeth.l.9.*

Omnes Vandalorum populi, qui ad Aldeburgenſem pertinebant curam, tempore Godſcalci Principis Chriſti fidem ſunt amplexati. Cùm is tanto divinæ religionis amplificandæ ſtudio arderet, ut ſermonem exhortationis frequenter ad populum in Eccleſia ipſe faceret: ea ſcilicet, quæ ab Epiſcopis, & presbyteris Latinè dicebantur. Vandalicis verbis interpretans. *Crant.l.3.Vandal.c.1.*

Alfonſus Congenſium Æthiopum Rex, ad fidem Chriſti converſus, tanto ſtudio pietatem coluit, ut non plus temporis in Reip. negotiis gerendis, quàm in ſubditis ad cultum pietatis incitandis conſumpſerit. Habebat frequenter ad populum conciones de juſtitia, & pietate, de judicii divini ſeveritate, de ſempiternæ vitæ præmiis, Chriſti diſciplina, & ſanctorum hominum, qui veſtigia illius ſequebantur, exemplis. D Quamdiù denique manſit in vita, regnum perpetuò in Chriſtianæ pietatis officio, cum ſingulari probitatis, & juſtitiæ laude, continuit. Emanuel proinde Luſitanorum Rex, qui Joanni ſucceſſit, cùm tanto ardore religionis ſtudium in illis partibus excitari conſpiceret, anno à Chriſto nato, M.D. IV. homines eruditos in illas partes miſit, qui ſcholas aperirent, & artifices etiam multarum artium, multos libros Chriſtianam diſciplinam, & ſacrorum omnium rationem, & Chriſti vitam, & hominum ſanctorum exempla continentes, argenteos præterea calices, & cruces argenteas, & thuribula, ut facilius gentem in fide ſuſcepta confirmaret. Ad hæc, ſacerdotibus, & reliquis omnibus, quibus onus luſtrandæ illius regionis impoſuit, ſtipendium, & commeatum largè, atque munificè ſuppeditari præcepit. Eos rex valdè amanter accepit. Multi verò certatim ad illos undique conveniebant, ut Chriſto nomina darent, & ſacro fonte abluti, in novum vitæ genus ingrederentur. Et quia neque ſacerdotes linguam eorum noverant, neque plebs Portugallenſem linguam intelligebat, Rex interpretis officio fungebatur; & quod ab illis acceperat, habita concione ſuis nunciabat. Egit Emmanuel præterea cùm E illo per literas, ut filios ſuos in Luſitaniam mitteret. Ita factum eſt ut non ſolùm regis filii, ſed multi pueri nobiles Olyſſiponem venirent, & Emmanuelis ſumptibus alerentur, & omnes artes homine libero dignas acciperent. E quibus aliqui ſeſe ſanctis literis impensè dediderant, in Æthiopiam reverſi, multos mortales ad Eccleſiam, & concionibus, & virtutis exemplis aggregarunt. *Oſor.l.3.Em.*

Lectione.

Moyses, cùm juſſu Domini librum legis ſcripſiſſet, Levitis arce fœderis geſtatoribus dedit, ut ad latus arcæ reponerent, & ſeptimo quoque anno in ſolennitate anni debitorum remiſſionis, feſto Umbraculorum, cùm Univerſi convenirent Iſraelitæ in templo, recitarent. *Deut.31.*

Josias Judæorum Rex, impii Amonis F. ad Dominum converſus, anno regni ſex XIIX. cùm Helcias Pontif. Max. in templo librum legis reperiſſet, eum coram omni populo, ſciſſis veſtimentis ſuis prælegit, & cum Domino fœdus fecit, idola ſuſtulit, ſacella profanavit; ita ut nullus rex cum eo com- F parandus ſit, qui ſe ad Deum tota mente, totaque anima colendum ita compoſuerit. 4. *Reg.22. & 23.*

Esdras Sarajæ F. ſacerdos primarius fuit Judæorum Babylone degentium: cumque iis, permiſſu Xerxis, reverſus, populum, qui antè duce Zorobabele redierat, ad meliorem religionis, & Reipubl. ſtatum traduxit, uxores gentiles repudiare coegit, legemque Domini in Scenopegiæ feſto recitavit. 1. *Eſdræ* 10. *& Joſeph.l.11.c.5.*

Scriptis. Commentariis. Interpretatione.

Origenes Philippum Imp. qui Gordiano ſucceſſit, & Severam ejus conjugem ſcriptis ſuis convertit: ac tum demùm ſcripta ſua à notariis publicè excipi paſſus eſt.

Nicephorum Baſilacem Paulinas epiſtolas interpretatum fuiſſe, & lumine eloquentiæ Apoſtolicorum ſcriptorum obſcuritatem altiſſimo ſpiritu refertam illuſtraſſe, ſcribit *Nicet.l.7.de Geſtis Manuelis.*

Notgerus S. Galli Monachus, ſub Abbate Bernardo Pſalterium in linguam Francicam rudem adhuc, & inconditam convertit, circa annum Chriſti 886. *Stumpfius.* G

Alauredus, Rex Anglorum Pſalmos, & orationes in unum libellum compegit, quem Manualem vocabat, ut Enchiridii loco eſſet. Scholam Oxoniæ aperuit, & Pſalterium cœpit transferre in vernaculam linguam, & Uverefridum Vigorvienſem Epiſcopum juſſit dialogos Gregor. Saxonicè reddere. *Ranulph.lib.6.c.1.*

Ludovicus, Francorum Rex, curavit libros Dionyſii Areopagitæ de Hierarchia Latinos reddi. *Sigebert.*

Ethelstanus, Rex Angliæ, per peritos doctores curavit Sacras Scripturas in Angloſaxonum idioma, ex puriſſimis Hebræorum fontibus, transfundi. *Malmesburienſis.*

Beda Venerabilis, Evangelium D. Joannis lingua Anglica paulò antè obitum, dum morbo affligitur, pro imperitis Latinæ linguæ, interpretatus eſt. *Malmesbur. lib.1.c.41.*

Exemplo, Converſatione.

Sub Ezechia Rege ſanctiſſimo, Judæi quoque, & Iſraelitæ intermiſſum divinum cultum tanta alacritate receperunt, ut primitias omnium frugum libentiſſimè conferrent, & rex H etiam ipſe liberalitatem populi, Dominique benedictionem admiraretur. 2. *Paralip.31.*

D. Ludovicus, Francorum Rex, & ipſe ſanctus fuit, & eos quibuſcum verſabatur ſanctiores fecit. Ii certè, qui in eum arma tulerant, eadem arma in hoſtes religionis continuò vertere. Theobaldus Campaniæ Comes, Petrus Britanniæ Dux, rebelles regi reconciliati ſunt hac lege, ut in Aſiam contra Mahumetanos navigarent. Anglus trans Pyreneos ſaltus, quo & Francus, militem miſit adversùs Africanos Barbaros, qui novis ſemper copiis populati, uterque Hiſpaniam non deſinebant. *Æmil.l.7.*

Clemens IV. Pontifex, cùm regem ferre non poſſet, qua ſucceſſores tenerentur, ipſe ſibi legem præſcripſit, & cæteris exemplum præbuit, qua ratione eccleſiaſtici mores ad priſcam frugem revocari poſſent. Ante ſacerdotium uxorem habuerat. Procreavit ex ea filias, cùm Pontifex ſplendidiſſimo matrimonio collocare poſſet, priſtinæ fortunæ ſuæ hominibus tenui

tenui dote deſpondit. Filio ſororis multiplicia præbenda ha- A benti, optionem dedit, quod eorum videretur, retineret, cæteris omiſſis. Si erga ſuos ſe præberet, qualem fas eſſet, reliquos non moleſtè laturos, ſaluti potius animorum quàm cupiditati, ambitionique conſuli. *Æmil.l.7.*

Olaus Norvegiorum Rex, cùm prima feria cultello fuſtem per incuriam ſecuiſſet, atque ab his, qui proximè conſtiterant ſolutæ à ſe religionis fuiſſet admonitus, ſparſas repentè ſcindulas legit, factoque ex eis foculo, ſubjectam manum cremandam præbuit. Ne cæteri à divinitatis cultu avocarentur, quod piè diſſimulare licuit, ſuppliciter expiavit. Cujus facti ſanctitate æternum cognomen meruit. *Saxo l.20.*

Nicolaus cognomento Peregrinus, natione Græcus, in oppido Apulio Teano ſeminudus incedens, & crucem ligneam manu præferens, Kyrie eleiſon clamitabat. Eo clamore puerorum turbam excitabat, & hoc ipſum, ut iteratis vocibus ſecum decantarent, innuebat. Excogitaverat utique quemadmodùm & ſtultus hominibus appareret, & à laudibus Dei non ceſſaret. Defuncti cadaver multorum languores contactu ſanavit. *Marul.l.4.c.4.*

Didacus Hiſpanus, Oxovienſis Epiſc. duodecim Abbati- B bus Ciſtercienſis Ordinis, quos Eccleſia Rom. ut ad Albigeſios in fide erudiendos ſe conferrent, elegerat, ſuaſit, ſi in demandata cura proficere, atque libenter à populis audiri cuperent, mollia indumenta, præterea argentum, deliciaſque omnes abiicerent, atque Apoſtolos imitati, pedibus iter facerent, ut diſciplinæ, quam aliis prædicarent, congruere ipſorum vita inſpiceretur. Idque ipſe primus egit, fructumque ingentem ex negotio demandato peperit. *Fulg.l.7.c.1.*

Precibus, Votis.

Martialis, vir in ordine ſuo primarius, ævo jam gravis, & multùm à religione abhorrens Chriſtiana habitans Calamæ, habebat fidelem filiam, & Generum eodem anno baptizatum. Qui cùm ægrotantem multis, & magnis precibus, & lachrymis rogarent, ut Chriſtianus fieret, prorſus abnuit, eoſque à ſe turbida indignatione ſubmovit. Viſum eſt genero ejus, ut iret ad memoriam S.Stephani, & illic pro eo quantum poſſet oraret, ut Deus illi daret mentem bonam, qua credere non differret in Chriſtum. Fecit hoc ingenti gemitu, & fletu, & ſinceriter ardente pietatis affectu: deinde abſcedens, aliquid C de altari florum, quod occurrit, tulit, eique, cùm jam nox eſſet, ad caput poſuit. Tunc dormitum eſt, & ecce ante diluculùm clamat, ut ad Epiſcopum curreretur, qui fortè tunc erat cum D.Auguſtino Hipponenſi. Cùm verò audiviſſet eum abſentem, venire Presbyteros poſtulavit. Venerunt, & ſtatim ſe credere dixit: admirantibus, atque gaudentibus omnibus, baptizatus eſt. Hoc, quamdiù vixit, in ore habebat: Chriſte, accipe ſpiritum meum: cùm hæc verba beatiſſimi Stephani, quando lapidatus eſt à Judæis, ultima fuiſſe, quæ huic quoque ultima fuerunt, neſciret, nam non multò poſt obiit. *Aug.l.22.de Civit. Dei, cap.8.*

Pii fletus quanta vis ſit, Monica Auguſtini mater teſtatur. Cui pro filio Manichæa hæreſi implicato, multùm lugenti atque oranti divinitus dictum eſt: Ubi ipſa, ibi & illum futurum ab Epiſcopo etiam, quem ut pro illo oraret, cum fletu rogaverat, audivit, Fieri non poſſe, ut tantarum lachrymarum filius periret. Qui tandem Ambroſii Epiſcopi prædicatione converſus, non ſolùm errorem omnem abjecit: ſed etiam errantibus viam veritatis monſtravit, obſcura quæque declarando, dubia ediſſerendo, certa confirmando, prava, D falſaque omnia pleniſſimè confutando. Tantum profecit matris pro filio lugentis aſſidua ſollicitudo. *Ibidem & Fulgoſus lib.6.c.9. & Egnat.l.6.c.8.*

Pollicitationibus.

Bonifacius Moguntinus Epiſcopus, Thuringis nullum doctorem Evangelicum admittentibus, Chriſtum ſalvatorem mundi prædicavit, facta irruptione cum exercitu in terram eorum. Hi, Quidnam utilitatis ad ſe rediturum ſit, quærunt ſi ſua Chriſto colla ſubiiciant? Bonifacius, inquit: Si in eum credideritis, liberabimini ab omni malo corporis, & animæ, & ab inferni, ac diaboli poteſtate, & accipietis vitam æternam. Tum illi: Si decimis Regi Hungariæ quotannis pendendis per Chriſtum liberemur, in eum credemus. Bonifacius igitur in ſomnis à Deo victoriæ promiſſionem accipiens, Thuringos liberos à decimis pronunciat, certòque teſtatur, Regem Hungariæ nunquam ab eis in poſterùm decimas exacturum. Hoc audiens rex, copias quidem in Thuringiam miſit: verùm col- E latis ſignis, orante Bonifacio, Hungari vincuntur, Thuringi Chriſtum amplectuntur. *Chron. Iſenacenſe.*

Fœdere, Jurejurando.

Josue jam moriturus, poſt res maximas geſtas, & populum Dei in terram Sanctam introductum, Iſraelitas omnes Sichemam convocavit, & Dei beneficia in eos commemorans, ſerviturine eſſent Deo poſt ſuum obitum necne, ſeverè interrogavit. Illis verò conſtanter affirmantibus, Joſue eo die fœdus cum populo feriit, eiſque inſtituta, atque jura Sichemæ propoſuit: cùmque ea verba libro divinæ legis inſcripſiſſet, ſaxum ingens ibidem ſub quercu, apud Dei ſacrarium ſita, erexit, quod teſtis eſſet adversùm Iſraelitas, ne datam Deo ſuo fidem fallerent. *Joſue c.24.*

Largitione.

Basilius Macedo Imp. multos Judæos magnis pecuniarum largitionibus promiſſis ad fidem Chriſti flexit, ac Chriſtianos fecit. Gentem etiam Scythicam, quæ Rhos vocatur, in co- F gnitionem divini cultus traduxit, adeò ut jam baptiſmum anhelarent. *Zonaras.*

Livonia à Meinardo Segebergenſi Canonico fidei rudimenta percepit, Hartuici Bremenſis Archiepiſcopis auctoritate. Etenim reluctantium corda non tam verbi prædicatione, quàm muneribus expugnavit: ac Rigæ, quæ ſoli fertilitate, & navigationum commoditate maximè inſignis erat, cathedralem totius Livoniæ Eccleſiam conſtituit, anno Sal. 1186. atque ut contra incurſiones muniret, in inſula Dunaviæ fluminis (quæ poſt Kerckolm appellata, & Teutonici Ord. monachorum domicilium facta eſt) arcem conſtruxit Meinardo extincto, Bertholdus Ciſtercienſis Ordinis Abbas eum locum capere juſſus armis inſtructus, cum larga peccatorum veniæ promiſſione eo venit, ut eos officium facere vi quadam cogeret. Sed ferociori equo in medium hoſtium agmen irruens, miſerè confoſſus eſt: anno 1198. *Crantz.l.7.c.13.Saxon.*

Edictis.

Justinianus Magnus Imp. tertio anno ſui Imperii promulgavit edictum, ut nulla eſſet religio niſi Chriſtiana in G ſuis regionibus, & provinciis. Ac dedit inducias omnibus idololatris, tres menſes, ad converſionem. *P. Diac. libro 16. Regum Rom.*

Chilpericus, Galliæ Rex, multos Judæorum ſua ætate baptizari juſſit: pro quibus plerumque in baptiſmo, pro conſuetudine Eccleſiæ, fidem ſpopondiſſe fertur: licèt non pauci Judæorum ad vomitum reverterentur. *Greg. Turonenſis lib.6. c.17. Hiſtor.*

Arvernenſium Judæorum ſynagogas cùm à ſuperſtitioſis ſuis opinionibus ad Chriſti fidem traduci non poſſent, in die Aſcenſionis Domini, anno Tyberii ſecundo, populus ſolo æquavit. Paulò poſt Epiſcopus Avitus, legatis ad eos miſſis, Vi (inquit) ego vos Filium Dei confiteri non cogo: ſed tamen prædico, & ſalem ſcientiæ trado veſtris pectoribus. Paſtor enim ſum gregis Dominici, & de vobis ille verus, & ſummus Paſtor, qui pro vobis paſſus eſt, dixit, Se habere alias oves, quæ non ſint ex ovili ſuo, quas eum adducere oporteat, ut fiat unus grex, & unus paſtor: Quamobrem ſi vultis credere, ut ego, eſtote unus grex, cuſtode me poſito. Sin minus, diſcedite loco. Illi multùm, diùque ſecum deliberantes, & H dubitantes, tandem tertio die habito conventu, ad Epiſcopum legatos mittunt, hiſce mandatis: Credimus Jeſum Filium Dei vivi, nobis Prophetarum vocibus repromiſſum: ideòque petimus, ut abluamur baptiſmo, ne in hoc delicto permaneamus. Epiſcopus cum gaudio accepto nuncio, in vigiliis Pentecoſtes noctu, urbe ad baptiſterium egreſſus, coram ſe proſtratam Judæorum multitudinem baptizavit, ultra quingentos, & in Eccleſiæ collegium adſcripſit. Reliqui baptiſmum accipere recuſantes, urbe pulſi, Maſſiliam profecti ſunt. *Greg. Turon. lib.5. Hiſt. c.11.*

Leo Iſaurus, imperii ſui ſexto anno, coegit Hebræos, & Montanos baptizari. At verò Judæi baptizati contra propoſitum ſuum, diluebant baptiſmum: & ſacræ adhibiti ſynaxi, contaminabant fidem. Porrò Montani divinantes ſibi, & diffinientes fidem, domos introierunt errori ſuo deputatas, & incenderunt ſemetipſos. *Paul. Diaconus l.12. Rerum. Romanarum, & Cedrenus.*

Animad-

Animadverſione.

A Carolus M. Uveſtphalos non aliter in officio continere potuit, quàm ut novo judicandi genere, quod vetitum à re eſt appellatum, in eos ſævire cœpit. Scabini enim judices, & hi patria lingua ſic dicti, prout quemque, aut fidem abnegaſſe, aut juriſiurandi immemorem adverterant, indicta cauſa utcunque inquirentes, ſupremo laquei ſupplicio afficiebant. *Egnat. l.1.c.1.*

Ignominia.

Ingo regulus Venedorum, ſatrapas, & nobiles ſuos à regali menſa arcendo, panèque duntaxat cibario, & caruncula rancida paſcendo, vinumque auſterum fictilibus propinando, cùm interim agricolas pios ſuæ menſæ adhiberet, ad religionem prudenter convertit. *Avent. l.3. Annal. Bojorum.*

Exilio.

Siſebutus, Viſigothorum in Hiſpania Rex, Judæos ea in regione multos demorantes, coegit aut poſſeſſione rerum B cedere, aut Chriſti ſacra ſubire. *Crant. l.4. Svetiæ, c.33.*

Tributis, Vectigalibus.

D. Gregorius Papa ad Januarium Epiſcopum Caralitanum ſcribit: Ruſticos idololatras in Sardinia convertendos eſſe ab Epiſcopis: ſin converti nolint, tanto penſionis onere gravandos, ut ipſa exactionis pœna compellantur ad rectitudinem fidei. *Lib. Epiſt. 26.*

Armis.

Hircanus III. Judæorum Dux, & Pontifex, cæſo Antiocho Pio ab Arſace Parthorum Rege, Idumææ urbes ſubjugavit, & incolas omnes ut circumciderentur coegit, pœna exilii propoſita. At illi circumciſionem, & reliquos Judæorum ritus admiſerunt, ex eoque primùm tempore inter Judæos cenſeri cœpti ſunt. *Joſeph. l.12.c.17.*

Aristobulus Judæorum Rex, Hyrcani filius, bellum intulit Itureæ, magnaque ejus parte attributa ad Judææ limites, habitatores comminatione exilii coegit circumciſionem, cæte- C roſque Judaicos ritus admittere. Alioqui natura æquus erat, & modeſtus, ut atteſtatur Strabo ex auctoritate Timagenis. *Joſephus l.13.c.19. Antiq.*

Thessalonus, ſive Taſillo, Dux Bavariæ, cum cognoviſſet Venedorum proceres jugum religionis Chriſtianæ excutere, in Chariorum regionem copias duxit: & Vandungum ducem Venedis deſignavit, qui eos in fide contineret. *Avent. l.3. Annal.*

Carolus Martellus contra Friſios idolorum cultores arma cepit, & fana, & lucos eorum extirpavit. *Avent. l.3. Annal.* Eoſque ad profeſſionem Chriſtianæ fidei cruentis præliis coegit, anno Dom. 725. *Mutius in Chron. German. l.6.*

Amandus, cum Aichario Novionenſi Epiſcopo, & Landoaldo Archipresbytero in Mempiſco docens, multis tandem laboribus Gandavos ad veram religionem convertit, adjutus à Dagoberto Rege Francorum, qui ipſi diploma tradiderat, quo cogi eos juſſit, quicunque ſponte religionem ſuſcipere detrectarent. *Jacobus Meyer in Chron. Flandriæ.* Gandenſes itaque ad Chriſtum deducti, aris Mercurii, quem colebant, deſtructis, lucis ſucciſis, & fanis everſis, vero Deo ſervire cœ- D perunt: annum circiter Chriſti 633.

Pipinus rex Franciæ, Ratobodum Friſonum ducem coegit audire Clementem, à Sergio Pontifice illi genti Epiſcopum datum. *Æmil. l.1. de Francis, & Avent. l.3.*

Carolus M. per annos triginta cum Saxonibus bellum geſſit, ac ſæpè victis nullam aliam legem impoſuit, quàm ut abjecta ſuperſtitione, verum Deum agnoſcerent. Sed illi, licèt aliquoties receperint ſe parituros, & inter eos multi baptizati ſint: tamen levi aliqua occaſione oblata, religionem abjecerunt, & pro recuperanda libertate arma ceperunt. ann. 776. tandem (ut annotat *Regino l.2.*) ad Heresburgum, ubi fanum Hermenſaul deſtruxerat, & ædificaverat baſilicam Carolus, miraculosè victi, venerunt ad Carolum, & cum uxoribus ſuis baptizati ſunt. Poſteà ad annos octo ſæpiùs à fide defecerunt: donec tandem 85. Vitekindus, & Albion ad Attiniacum, ſeu Mittembach, Chriſtiani facti, & baptizati ſunt. Carolus ab Albino, cujus conſilio in ſacris rebus omnia gerebat, non tam armorum vi quàm inſtitutione ſacra ſubigendos Saxones admonitus, decem millia ex illis, qui utraſque ripas fluminis Albis inhabitabant, cum uxoribus, & parvulis tranſtulit in E Brabantiam, & Flandriam, ut iſthic inter Chriſtianos conſtituti, minùs rebellare poſſent, & facilius ad religionem Chriſti aſſuefierent. *Urſpergenſis in Chron. & Crantz. in Saxonia l.2.c.4.* In terris occupatis paſſim Epiſcopatus, & ſcholas inſtituit Carolus, eiſque homines idoneos præfecit ad propagationem fidei.

In Hungariam propagata eſt religio Chriſtiana per arma Ejuſdem Caroli. Nam cùm ad montes Budæ obſeſſos Hunnos fame coegiſſet facere deditionem, eos, qui fidem Chriſti amplexi ſunt, vita, & libertate cum fortunis donavit, ſola vita conceſſa. Et poſteà expugnata Sicambria, ſeu Buda, cives per præconem hortatus eſt, ut abjectis idolis Chriſtum agnoſcerent, & colerent: templum Mariæ extruxit, & ſacerdotes ibidem reliquit, amplificandæ religionis gratia. Idem fecit in inſula, ad quam ſeſe Hungari receperant, expugnata: ut narrat *Bonfin. Decad.1. lib.9. Rerum Hungaricarum. Avent. lib.4.*

Ex Saxonia egreſſi ſacerdotes in regna Aquilonis, illa legibus Chriſtianis imbuerunt: primuſque Anſgarius Hamburgenſis Archiepiſcopus, in omnia Aquilonis regna cum ſucceſſori- F bus diù ſuis Apoſtolis ſedis legatus, verbum vitæ in Daniam, Sveciamque propagavit. At ubi recruduit ſæviens gentilitas, Otho primus ex Saxonibus Imperator, ultrice gladio revexit labefactatam religionem. Sed neque ſic diù in provincia valebat publicè ſuſcepta religio, donec Sueno Rex ab Othone Imperatore ſacro de fonte levatus, multis calamitatibus perdomitus reſipiſceret, ſua ſponte reſumeret abjectam Chriſti ſacram fidem. Ex eo tempore perſeveranter in regnis perduravit, uſque in Norvegiam, & Phinniam propagata. *Crantz. in Metropoli.*

Ogerus dux de Danemarchia, cùm Indiam ſuperiorem tempore Caroli M. occupaſſet, cum ſuo exercitu ibi imperium ordinavit: & Joannem filium Regis Friſonum, Presbyterum, ſeu Priſter Johann appellatum, propter vitæ ſanctimoniam ei præfecit: ac ſubjecit ei quatuordecim Barones, qui alias vicinas terras circumquaque tenebant, ut iſthic Chriſtianæ religionis cuſtodem, & propagatorem ageret. *Vernerus in Faſciculo temporum.*

Anno Conſtantis decimotertio Oſuvius Rex Northanimbrorum, Pendam Merciorum regem vicit, & interfecit: & gentem ejus ad Chriſtum convertit, Pictoſque regno Anglo- G rum ſubjecit. *Sigeb. an. 656.*

Henricus I. Imp. Gormonem Danorum Regem imperata facere, & ſubditos Chriſtum amplecti permittere coegit. Henrico mortuo, Otho I. Heroldum Gormonis filium ad baptiſmum partim armis, partim verbis adegit. Ergo tandem baptiſmum recepit cum uxore, & parvo filio: quem Otho ex ſacro fonte levavit, atque nomen ei impoſuit Sueinotto, ſeu Suen Otho, in memoriam baptiſmi: quia Sueno primùm fuerat nominatus. Regis exemplum reliquus populus eſt ſubſecutus. *Helmodus c.9. & Sigeb. anno 958.*

Idem Sotabos, ſeu Vandalos tunc quidem nominatos Delemanticos, armis devictos, coegit ſuſcipere fidem Chriſtianam, *Chron. Mesburg.* Poſt Otho Magnus eoſdem populos, præſertim Septentrioni viciniores, ad vomitum reverſos ſimul cum tributo Chriſti fidem amplecti vi compulit, Magdeburgum ad Albim inſtauravit, atque Vandalis Metropolim ſtatuit, collocato in eum locum Adelberto Archiepiſcopo, qui in propaganda doctrina Chriſti inter Vandalos præclaram operam navavit. *Crantz. in Vandalia, l.2.c.30.*

Henricus Upſalenſis Archiepiſcopus S. Ericum Sueonum H Regem ad illam magnam, & memorabilem militiam in Finlandos idololatras pro dilatanda fide Chriſtiana induxit. Poſt cruentam pugnam Finlandi ſuperati, manus victas victori regi porrexerunt. Tum priùs rex in lachrymas reſolutus, ad circumſtantes familiares, inquit: Gaudeo quidem, divinam providentiam nobis victoriam de ſuis, & noſtris adverſariis conceſſiſſe: at vehementius doleo, tot hoſtes in hoc prælio deſideratos: qui ſi ante mortem ad ſacri baptiſmatis ſacramentum perveniſſent, nequaquam per hanc mortem ad ſempiternam mortem corruiſſent. *Joan. Magnus l.19.c.3.*

Ericus Balbus Gothorum, & Sueonum Rex, Taveſtios idololatras Chriſti fidem ſuſcipere coegit. *Joan. Magnus lib. 19. cap. 15.*

Boleslaus Polonorum dux, Stetinenſem urbem, quæ Pomeranorum caput habebatur, expugnavit. Pomeranorum decem, & octo millia cæſa, octo in captivitatem abducta, paucis admodùm cum ſuo Principe relictis, qui Chriſto ſe nomi-

na da-

na daturos promiſerunt. Boleslaus Bamberga Othonem Epiſ- A copum evocat. Otho impetrata ab Honorio II. licentia itineri ſe accinxit, multis clericorum eum comitantibus, anno Sal. milleſimo centeſimo vigeſimoquinto. Commeatum verò Imperatorem ſubminiſtraſſe. *Aventinus* ſcribit. Advenienti Pomeranorum dux, magna ſtipatus ſatellitum cohorte, obviàm proceſſit, multaque excepit benevolentia. In caſtra Piriſſa cum ſacerdotibus, & clericis ſibi adjunctis, diebus ferè viginti, ad ſeptem millia hominum baptizavit. Caminum veniens, & ducem, & ducis conjugem cum cynæceo imbuit ſacris. Dux vigintiquatuor concubinas, quas præter legitimam conjugem alebat, dimiſit. Exactis camini diebus quinquaginta, conſcenſaque navicula, Julinum contendit. Ducis palatium ingreſſus Otho, multis tunditur verberibus, neque tamen corda adamantina emollire ceſſans, eos tandem adeò mites reddidit, ut ipſum numinis ferè loco deinceps venerati ſint. Hac ratione univerſa ferè Pomeranorum natio in Chriſti caſtra tranſit: eſtque Julinum cathedralis Eccleſiæ ſedes, auctore Othone, deſignatum. *Helmold. c.41. Veſpergenſis.*

Narentani, qui Dalmatiæ litora, à Sclavis orti, & latrociniis infames, diù tenuere, cùm Venetis multò infeſtiores eſ- B ſent, quàm ut ferri diutiùs ex civitatis dignitate poſſent: toties bello à Venetis petiti ſunt, ut non priùs cum his ſit bellari deſitum, quam inter pacis conditiones (petebant enim illam ſupplices) id præcipuè cautum ſit, ut Chriſtianam pietatem in primis ſuſciperent. Cætera verò haud majori ſtudio exacta, niſi ut poſthac à tam nefandis latrociniis abſtinerent, à quibus Chriſtiana pietas maximè abhorreat, reſtitutis interim omnibus, quæ ad eam diem extorſiſſent. *Egnatius l. 1. c.1.*

Ubi, Quando.

In Peregrinatione.

Apoſtoli dimiſſa Judæa, in diverſas provincias idolorum cultores ad religionem Chriſti converſuri, diſperſi ſunt. Andreas Achajam, Philippus Scythiam, Bartholomæus Lycaoniam, Jacobus Zebedæi Hiſpaniam, Joannes Epheſum, Thomas Parthiam, Hyrcaniam & Indiam, Matthæus Macedoniam, & Æthiopiam, Jacobus Alphæi Hieroſolymam, Judas Thaddæus Mediam, Meſopotamiam, Pontum, & cum Simone fratre Præſidem, in ſortem prædicationis accepere: nulli C labori parcentes, nullum vitæ diſcrimen devitantes, dum communi omnium ſaluti conſultum volunt. Neque tyrannorum minis, neque ſuppliciis deterriti ſunt, ne Chriſti nomen ubique circumferrent. Sic in omnem terram exivit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. Meritò igitur illi ſedebunt ſuper thronos cum Chriſto judicantes, qui numquam conquieverunt Chriſtum annunciantes. *Marul. l.3.c.4.*

In acie.

Elphegus Cantuarienſis Epiſcopus, capta, & direpta Cantuaria à Danis, circa nonum Canuti regis annum, qui fuit Chriſti 1025. vel circiter, dum propagandæ religionis ſtudio in denſos hoſtium cuneos irruit, & Barbaros ad veræ pietatis cultum inter armorum ſtrepitus pluribus hortatur, poſt multa tormentorum genera lapidibus obruitur, ſexto adminiſtrati pontificatus anno, ſepultuſque eſt Londoniæ, & in Sanctorum numerum relatus. *Polydorus l.7. Anglicæ hiſtor. & Chronicon. Hirſaugienſe.*

D Religionis discipuli ad veram religionem converſi.

☞ *Exempla aliquot pete ex Titulo Martyrum. Item Doctorum Eccleſiaſticorum.*

Qui, Videlicet.

Populi.

Circa ann. Chriſt. 574. Armeni Chriſti fidem publicè complexi narrantur. *Sab. En. 8. l.3. Sigeb.* Ex Armenia magna Chriſtiani legatos ad Juſtinianum miſerunt, petitum, ut Romanorum ſubiicerentur imperio, & liberè, ſineque perſecutione verum Deum colere, & honorare poſſent. *Evagrius l.5. cap.7.*

Evagrius l.4.c.22. & Zonaras ex Procopio memorant, Juſtiniano imperante Abaſcos fidem Chriſti, relicta idololatria gentili, palàm amplexos fuiſſe, Imperatore doctores eò mittente.

Immirenos Perſiæ populos, habitantes in extrema ora plagæ Auſtralis, olim Gentiles, poſteà verò ab eo tempore E quo ipſorum regina Salomonem Judæorum regem inviſiſſe dicitur, factos Judæos, ſub Anaſtaſio Imp. Chriſtianam religionem petito Epiſcopo ſuſcepiſſe, narrat *Theodor. Lector. lib.2. & Niceph. l.16.c.17.*

Sub Imp. Theodoſio gens Burgundionum, cùm à vicinis Hunnis, ac maximè ipſorum rege Sutphar, graviſſimè affligeretur, de divino auxilio quærendo cogitarunt. Verùm cùm in variatione ſententiarum hærerent, cuinam in tanta gentilium numinum turba ſeſe potiſſimùm addicerent, venit in deliberationem & Chriſtianorum Deus: & is ſanè omnium indicatus eſt non tantùm potentiſſimus, ſed etiam præſentiſſimus in ferendo auxilio ſuis. Quare una mente, & voce, uni & ſoli Chriſto ſeſe dedidere: à Gallicano Epiſcopo inſtituti, & baptizati. *Socrates l.7. cap. 30. Sigebert.* ſub annum Theodoſii Imp. ſextum, Domini verò 433. & *Niceph. libro 14. capite 40.*

Britannia prima omnium provinciarum Chriſtianam religionem populariter ſuſcepit, an. Chriſti 182. Lucii regis anno 13. Fugatio, & Damiano doctoribus, ab Eleutherio Pontifice miſſis, cùm ante Joſephus Arimathenſis ſemina F quædam illic ſparſiſſet. Illa eadem Conſtantinum Magnum, qui primus Impp. Chriſti Religionem propagavit, tulit. Nam filius fuit Conſtantii Cæſaris, ex Coylli reguli Britanni filia Helena miræ pulchritudinis in Britannia natus, & mortuo patre in Britannia Imperator creatus. Atqui cum Pictorum, & Scotorum armis à fide denuò alienata gens eſſet, tandem miſſi eò per Gregorium Pontificem Auguſtinus, & Melitus monachi Angli, coadjuvante etiam Bertha regina, genere Franca, & Lethardo Epiſcopo, qui cum illa venerat, anno Sal 603. *Beda l.3.c.5. Hiſt. Angl. Sigebert. in Chronico, & Polyd. l.2.*

Dum Conſtans Heraclii nepos ad gubernacula rerum ſedit, in Anglia Merciorum gens veram religionem accepit. Interfecto enim Penda rege gentili, Oſvius ex Northanymbrorum primus apud eam gentem Chriſtianus rex extitit; ejuſque exemplum Mercii ſecuti, omnes intra biennium ſunt converſi, & baptizati. *Beda l.3. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ gentis Anglorum, cap.21. & 24.*

Eodem tempore Eligius ex Gallis peregrinatus, docendo verbum Chriſti, Flandros à Bononia ad Oſtburgum uſque convertit, & Eccleſiæ adjunxit, circa annum Domini 649. G *Jacob. Meyer in Chronico Flandriæ.*

Converſus eſt à Melito Sigebertus Orientalium Anglorum rex: Cynigildus Orientalium Saxonum rex à Berino, quem Papa Honorius eò miſerat: Gandavenſes ab Aichario Novionenſi Epiſcopo, anno 639. ope Dagoberti regis Francorum: Theodo dux Bavariæ à Ruperto, Bojoariæ, Auſtriæ, & Styriæ Apoſtolo: Atrebatenſes à Chilleno Scoto eò miſſo à Pharaone Epiſcopo Meldenſi. Sub Heraclio Imperatore.

Scoti, Donaldo rege auctore, ad Chriſtum converſi ſunt anno Salut. 203. à Scotorum regni inſtitutione 533. neque ab ea poſt ullis perſecutionibus dimoveri potuere. *H. Boethius lib.5.*

Sub Juſtiniano Chilianus à Conone Papa in Germaniam miſſus Franciæ ſuperioris gentes convertit, anno 688. Vveſtphali ſimiliter ab Evaldo albo, & Enaldo nigro. Friſii victo Ratbodo duce à Pipino armis ſunt coacti religionem ſuſcipere anno 696. miſſo ab eos Vvilibrodo Anglo, qui inſuper Hollandiam, & finitimas Regiones convertit. Etiam Antuerpienſes eum agnoſcunt ſuum Apoſtolum, ut qui ibidem extrà muros Eccleſiam ædificavit, quomodo & Ultrajecti pri- H mæ Ædis fundator exiſtit. Anno deinde 1120. vocatus à Præpoſito S. Michaelis, & XII. Cononicis, Nerbertus Antuerpiam ab hæreſi Tanchelini repurgavit.

☞ *Vide ſuprà locum de Chriſtianis, & Religioſa ſocietate Chriſtianorum.*

Dandali, gens urbibus, & opibus florens quondam, diù Chriſtianum nomen exhorruit, ſingulari ſuperſtitione idolis ſuis dedita: donec ab Danorum rege Valdemaro à mari, & ab Oriente à principibus Pomeranis, & à meridie ab Henrico Leone Saxonum duce, per arma cogerentur ſubire Chriſtianiſmum. *Crantz. in Metropoli.*

Reges,

Reges, Principes.

A Izates Adiabenorum rex, cum matre Helena, religionem Judaicam amplexus eſt, Anania præceptore, qui circumciſionem tamen ei diſſuadebat, ne populus defectionis anſam ſumeret. At Eleazarus Galilæus tandem ut circumcideretur effecit, Dei gratiam hominum timori præponendam aſſerens. Helena inde Hieroſolymam profecta, templi viſendi cauſa, in ſumma annonæ caritate populum ſublevavit. Izates ipſe quinque ſuos filios eodem miſit, ut Judæorum ritus, & mores diſcerent. Contra Parthos, & Arabes præclara deſignavit facinora, mortuus anno regni vigeſimoquarto, ætatis quinquageſimoquinto. Helena mater in patriam rediit, neque ita diù poſt obiit. Monobazus frater, qui ei ſucceſſerat, oſſa matris, & fratris Hieroſolymam miſit, ut in tribus pyramidibus ab Helena extructis conderentur, tertio ab urbe ſtadio. *Joſeph.l.20.c.2.Antiq.*

Cæſarea Perſarum regina, veræ pietatis ſtudio occultè cum paucis Chriſtiani nominis Conſtantinopolim venit anno 683. Excepit venientem Conſtantius Imp. exquiſitiſſimo apparatu, eſtque haud multò poſt baptiſmi lavacro admota, cujus cauſa fuerat tam longum iter emenſa. Miſit Perſa- B rum rex legatos Byzantium, qui uxorem à Principe repoſcerent. Reſponſum his eſt, reginam à nullo teneri, in illius poteſtate eſſe, abirene vellet, an manere, ab ea ſciſcitarentur quid in animo haberet. Appellata itaque de reditu à legatis, negavit ſe ad virum redituram, niſi ille ſuum exemplum ſecutus, priùs Chriſti fidem recepiſſet. Rex pientiſſimæ conjugis poſtulatis aſſenſus, cum quadraginta millibus hominum, pacato agmine Byzantium venit. Is quoque honorificè acceptus eſt. Ibi Perſa cum univerſo comitatu eſt baptiſmo admotus, ac tum demum recepta conjuge in regnum reverſus eſt. Hæc *Platin. in Vitaliano ex Regionis l. 1. Sabell. tamen lib.6. Ennead.*8. Adductis aliquot rationibus non infirmis, de regina Parthorum illud mavult intelligi.

Mauvia Saracenorum regina, ruptis poſt mariti obitum cum Valente Imperatore Rom. fœderibus, Palæſtinam, & Syriam infeſtare cœpit, Rom. duces ſæpius fudit, neque pacem facere voluit, niſi Moſes Saracenicus eremita (qui ab Arianis proſcriptus, circa Alexandriam, & Palæſtinam ſolitarius degebat) gentis ſuæ Epiſcopus crearetur. Valens ergo ſummo ſtudio Moſem quæri juſſit, & inventum, ab exulibus C Orthodoxis Epiſcopis Epiſcopum creatum ad Saracenos miſit, ubi Chriſti fidem feliciſſimè propagavit. *Ruffinus l.1.c.6. Socrates l.4.cap. 36. Theodoretus lib.4.cap.23. Sozomenus lib.6. capite 38.*

Coſroen Perſarum regem perſecutorem Chriſtianorum in extremis vitæ diebus ad Deum converſum, *Evagrius* ſcribit *l.4.c.28. Idem l.6.c.17.* Circeſium profectum ſcribit, eo animo, quo Chriſtianorum Deum invocaret. *Niceph.lib.18. cap.22.*

Non multò poſt Coſroe ab Heraclio cum filio majori natu interfecto, parvulus Coſrois Filius in Perſide relictus, baptizatus eſt, & ab Heraclio regno præfectus. *Aimoin. de Rebus Francorum l. 4. c.21. & Paul. Diac.*

Dux Lazorum, Perſiæ populorum Zathus nomine, regnante Cabade Perſarum rege, à Perſis defecit, & ad Juſtinum Seniorem Byzantium profectus, eum rogavit, ut Chriſtianus fieret, & Rex Lazorum appellaretur. Juſtinus pro filio baptizatum, & regem Lazorum ſalutatum, & corona chlamyde alba Imperatoria ornatum, Senatoris cujuſdam filia in uxorem data, à ſe dimiſit. *Paulus Diaconus l. 15. Zo-* D *naras tom.3. Annalium.*

Anno primo Juſtiniani Magni Imp. ad Romanos ſe contulit Herulorum rex Gretas, Conſtantinopolimque profectus cum ſuo populo ab Imperatore obtinuit, ut Chriſtianus fieret cum ſuis cognatis, & conſiliariis. Eaque re confecta, lætus domum rediit, pollicitus ſe Romanis, quacunque in re vellent, auxilio futurum. *Cedren.*

Anno eodem Gordas regulus Hunnorum Booſporo vicinorum, Romanis ſeſe adjunxit, & factus eſt Chriſtianus: cunque fidem dediſſet, ſe Romanis rebus addictum fore, urbemque Booſpori cuſtoditurum, & boum tributum exacturum (nam urbi Booſporo inde nomen eſt, quòd incolæ Romanis loco pecuniæ quotannis boves dabant) magnificè ab Imperatore donatus, domumque dimiſſus eſt. Reversùs domum, fratris ſui Imperatoris humanitatem, liberalitatemque, quinetiam ſe Chriſtianum factum eſſe expoſuit, atque idem omnia Hunnorum ſimulacra confregit, & conflavit. Eam ob rem Hunni irati, cùmque his Moageras ejus frater, Gordam necaverunt, & regnum Moageræ tradiderunt: ac Booſporum profecti, tribunum Dalmatiæ, & milites interfecerunt. *Pro-* E *copius lib.2.de Bello Gothorum, Evagrius lib. 4.c. 20. Paulus Diaconus l.16. Otho Phriſingenſis l.5.c.4. Cedrenus.*

Alamundarus Saracenorum, ſeu Agarenorum Princeps ab orthodoxis inſtitutus credidit, & baptizatus ad Chriſtum cum populo ſuo convertitur. *Theodor. Lector l.16. Collectaneorum: Paulus Diaconus l.15. Nicephorus l.16.c.35. Zonaras in Anaſtaſio.*

Olga Ruſſorum regina, defuncto marito, qui Romanos claſſe infeſtaret, ſe ad Imperatorem Conſtantinum Leonis F. contulit: ac baptizata, Helenæ nomen accepit. Domum reverſa, miſit legatos ad Othonem Imperatorem, qui peterent ſibi Epiſcopos, & Presbyteros mitti, ad tradendam Chriſti doctrinam in ſua gente, anno Domini 959. *Contin. Reginonis, & Zonaras Schafnaburgenſis* ait, Aldebertum eò miſſum eſſe, qui poſt Epiſcopus Magdeburgenſis factus eſt, circa annum Domini 930.

Thelericus Bulgarorum dux, ad Leonem Copronymum fugit: & baptizatus, ab Imperatore patricii dignitatem accepit, anno Domini 778. *Sigebertus. Paulus Diac.lib.23. Rerum Romanorum.*

Narrat *Evagrius l.6.c.23.* tempore Coſrois regis Perſarum F Naamen Scenitarum Barbarorum Phylarchum, qui ſua ipſius manu homines dæmoniis ſuis mactabat, ad ſacrum baptiſma acceſſiſſe, & Veneris ſtatuam auream, igne liquefactam, pauperibus diſtribuiſſe, ac ſimul ſuos omnes ad Deum adduxiſſe.

Recaredus Hiſpaniæ rex, in Toletana ſynodo duorum, & ſexaginta Epiſcoporum, Ariana hæreſi abdicata, orthodoxam fidem cum tota gente Hiſpaniæ complexus eſt. *G. Turonenſis lib.9.c.15.* Gregorius Papa hoc Recaredi factum magnificis laudibus prædicat prolixa Epiſtola, *lib.7. Epiſtolarum, indict.2.26.*

Remigius Epiſcopus Rhemenſis baptizavit Clodoveum Francorum regem cum exercitus parte trium millium. *Turonenſ.l.3.31.*

Rollo Normannorum dux, Franciam invadens, inter ſacros ritus Guimardum interficit: Floriacenſe cœnobium, incolis omnibus interemptis, flammis committit, & pro libidine cuncta agit. Tandem verò Gilla filia Caroli Simplicis, in uxorem ducta, non modò à vaſtationibus deſtitit, Neuſtria, quam dotis loco acceperat, contentus, ve- G rùm etiam ſacris, & lavacro Chriſtiano initiatus eſt. *Gaguin.l.5.*

Methodius Moravorum Archiepiſcopus Vvorzyvoum, ultimum Paganorum ducem in Boemia, unà cum conjuge Ludmilla, ad religionem Chriſti adduxit, an. Dom. 905. ac fertur Ludimilla miraculis quoque claruiſſe. *Schedelius.*

Chabeas ſatrapa Avarum à Carolo Magno perſuaſus, Chriſti religionem amplexus eſt. *Lazius lib.2. Rerum Viennenſium.*

Vitekindus Saxonum dux victus à Carolo Magno, & converſus, equum nigrum, quem inter inſignia geſtabat, albo colore pingi curavit, ut teſtaretur ſe ex tenebris gentilibus ad veram lucem eſſe traductum. *Chronicum Saxoniæ.*

Biornus Gothorum, & Sueonum rex à Carolo Magno Harbertum ſacerdotem, à quo in fide inſtitueretur, petiit. Eo mortuo, à Ludovico iterùm Anſgarium Corbejenſem monachum obtinuit, anno Chriſti 816. qui Hamburgenſis Epiſcopus factus, Olaum regem Sueonum cum tota gente convertit, ann. Chriſti 833.

A Gregorio Magno Papa Auguſtinus, & Mellitus miſſi H ſunt in Albionem, ut Anglorum gentem idololatram ritè inſtituerent: quorum prædicatione, & hortatu, Ethelbertus Saxonibus, qui Cantium tenebant, imperitans, tota cum gente ſacro lavacro immerſus eſt. Aſpernabantur ut plurimùm Saxones Brithonum ſacerdotum tum Gualiam incolentium doctrinam, tametſi veram profiterentur, inviſæ gentis magis, quàm diſciplinæ odio. Ethelberti exemplum Angli quoque in Albione ad Meridiem, & Orientem ſedes tenentes ſecuti ſunt. *H. Boeth.l.9.*

Cedoaldus Angloſaxonum rex in Britannia, Romam contendens, à Cuniperto Longobardorum rege exceptus, à Sergio Pontifice baptiſmate initiatus, paulò poſt vita exceſſit. Corpus in divi Petri baſilica ſepultum: fortunæ in divinum uſum ex teſtamento erogatæ. *Bonfinius l.8. Decad. 1. ex Bedæ lib.5.c.7.*

Ericus Junior, Danorum rex, imitatione Regneri avi ſui, ſummus Chriſtianæ religionis perſecutor, ad ſalutares Anſgarii Hamburgenſis Epiſcopi monitus, ſacrilegæ mentis errore de- A poſito, tantum in excolenda religione ſe geſſit, quantum egerat in aſpernanda. *Saxo l.9. & Crantz.l.1. Metropol.c.1.*

Godſcalcus Vandalus an. Sal. 1000. Vandalorum perſecutioni in Saxones Chriſtianos præfuit. Ætate autem ingraveſcente converſus, totam penè maritimam Vandaliam Chriſto conquiſivit, quam priùs averterat, multiplicatis per urbes, & vicos monaſteriis. Sed ab impiis, cum ſacerdote inter docendùm mactatus eſt ad aram. Inde Vandali populariter Chriſtianiſmum rejecerunt, perſequentes omne nomen Chriſtianum. *Crantz. l.3. Metrop.c.3.*

Anno à Chriſto nato MCCCCLXXXIV. quidam eques, vir acris animi, nomine Jacobus Canus, juſſu Joannis Luſitaniæ regis, oras Æthiopiæ perluſtravit, cum rege Æthiopum Congenſium familiaritatem contraxit, eumque ad religionem Chriſti amplectendam cohortatus eſt. Miſſus à rege legatus cum pueris aliquot nobilibus, plus duobus annis in Luſitania commoratus eſt, ut meliùs & linguam, & religionis Chriſtianæ diſciplinam perciperent. Cùm verò jam omnes eſſent luſtralibus aquis expiati, Chriſtique nomen ſacramento profeſſi, Joannes tres naves inſtrui juſſit, quibus tam legatus, B quàm pueri veherentur. Miſit prætereà cum illis ſacerdotes religione præſtantes, cum ſacris vaſis, & infulis, Chriſtianæ religionis inſignibus, qui gentem ſacris ſanctiſſimis expiarent, & ad diſciplinam Chriſtianæ pietatis erudirent. Statim templum ædificatum propter flagrantiſſimum Regis ſtudium, & innumerabilem multitudinem, quæ operas vigilantiſſimè dabat, & Sanctæ Crucis nomine conſecratum. Dum hæc geruntur, cùm fuiſſet illi nuncius allatus, gentes illi ſubditas, quæ inſulam in medio ingentis lacus ſitam incolunt, quam fluvius nomine Zairus efficit, ab illius imperio defeciſſe, illarum impetum, & audaciam per ſe comprimere, & vindicare conſtituit. Antequam verò proficiſceretur, ſacris aquis expiari, & nomen Chriſti profiteri voluit. Quod ſimiliter & Regina, & aliquot viri nobiles effecerunt. Is Joannes appellatus eſt, Regina verò Leonora. Tradidit illi vexillum Rodericus Souſa, Luſitaniæ claſſis præfectus, imagine Crucis illuſtratum: illumque admonuit, ut confideret, ſe virtute Crucis victoriam de hoſtibus adepturum. Is fiducia nominis Chriſtiani ſubnixus, hoſtes primo impetu profligavit, multoque celerius, quàm potuiſſet quiſquam ſuſpicari, bellum confecit: domumque reverſus, Souſam cum multis amoris ſignis dimi- C ſit. Regis inde filius natu maximus fidem Chriſti recepit: Alfonſique nomen propter Alfonſum Joannis regis filium uſurpavit. Mortuo patre, Alfonſus regnum obtinuit. Sed Pariſus Aquitimus frater ejus idolis deditus, magno exercitu illum incautum, & regno, & vita exuere tentavit. Alfonſus perexiguo militum numero ſtipatus, adhortatus eſt ſuos, ut firmiſſimè crederent, cœleſte auxilium eis minimè defuturum. Commiſſo prælio maximis vocibus Chriſti numen invocabat, & opem Apoſtoli Jacobi (quod Hiſpanos facere in bellis acceperat) implorabat, & has voces magna contentione identidem repetebat. Hoſtes ſubito timore perculſi, terga verterunt. Et cùm prima acies ſe in fugam conjiceret, ſecundam aciem impreſſione facta perturbavit, atque ſimiliter fugere compulit. Pariſus in ſylvas ſe abdere volens, in cippum incidit (ſic enim appellant inſtrumentum, ad feras capiendas in ſylvis appoſitum) & ibi captus eſt cum Duce, quem ſecum propter virtutis militaris opinionem conjunxerat. Is Dux cùm ſe captum animadverteret, miſit ad Regem, qui diceret, ſe mortem mi- D nimè deprecari, quam ſe meruiſſe judicabat. Hoc tamen per illum ſummum Deum, quem Rex ipſe colebat, orare, ne ſe pateretur ad ſupplicium trudi, antequam Chriſtianus fieret. Addidit prætereà tantam hominum multitudinem à tam paucis hominibus nulla ratione vinci, atque ſuperari potuiſſet: ſed ſe magnam militum copiam in equis inſidentem, & crucibus inſignitam, tantaque luce ſplendentem, ut omnium oculos perſtringeret, in prælio conſpexiſſe, cujus metu perterritus, terga repentè dare coactus ſit. Quare ſe minimè dubitare, ſolius Chriſti numen eſſe ſumma fide colendum, & ſempiterna prædicatione celebrandum. Alfonſus vivum conſervavit, fideliquе illius opera multis in locis uſus poſteà fuit. At frater partim ex vulneribus, quibus in præcipiti ruina percuſſus fuit, partim ex dolore, intra paucos mortuus dies eſt. *Oſorius lib.2. Rerum Emmanuelis.*

Magi.

Magi Epheſii plurimi ad fidem à Paulo converſi, libros magicos exuſſerunt. *Act.19.*

Anastasius Perſa magus, à captivis Chriſtianis in Perſide converſus: Hieroſolymam venit, ibique baptizatus, E in monaſterium Anaſtaſii abbatis ſeſe abdidit, ac ſeptem annos ibi exegit. *Adon Viennenſis ætate ſexta, Beda de Ratione temporum, ſub Heraclio.*

Cyprianus Damaſcenus magus, cùm Juſtinam virginem in amorem Aglaii juvenis pellicere moliretur, ac dæmones nil ſibi in eam juris eſſet, quòd Chriſtiana eſſet, dicerent: relictis dæmoniis, baptizatus eſt, factuſque poſtmodum Epiſcopus, Chriſti martyr. *Marul.l.2.c.9.*

Philoſophi.

Abbatem Antonium aliquando ad hæreticos convincendos, relicta ſolitudine, Alexandriam veniſſe legimus. Acceſſerunt quidam Philoſophi quaſi ruſticano homini, & literaturæ ignaro illuſuri. Verùm ubi loquentem audiſſent, demirati verborum vim, ſententiarumque gravitatem, veritati ab eo prædicatæ adhæſerunt. *Marul.l.3.c.4.*

Alexandriæ Epiſcopus admodum religioſus, vicinum habebat quendam philoſophum, Evagrium nomine, Græcæ ſuperſtitioni addictum, qui in ſchola ſodalis Epiſcopo fuerat. Hunc Epiſcopus à veſano falſorum numinum cultu ad fidem F Chriſtianam traducere cupiens, identidem provocabat, cumque eo diſputabat. Sed philoſophus magis magiſque veræ religioni infenſus, fertur Epiſcopum in hæc verba allocutus: Profectò, Epiſcope, præter alia, & hoc mihi improbatur, quòd mundi finem fore vos Chriſtiani dicitis, corpora reſurrectura de mortuis, & pro acta vita cuique mercedem redditum iri: tum qui pauperi miſericordia motus largiatur, cum ſua apud Deum in favore ponere, recepturumque centuplum, cum vita æterna. Epiſcopo nihil vanitatis aut ludibrii ineſſe Chriſtianæ doctrinæ ſummoperè affirmante, ita diſceſſit Evagrius, ut qui animi valdè dubius eſſet. Aliquanto pòſt tempore, Deo Epiſcopi doctrinam adjuvante, credidit & baptizatus eſt: utque erat prædives, attulit ad Epiſcopum 300. auri libras quas ille pauperibus diſtribueret: data ſibi cautione manu propria ſcripta, Deum iſta redditurum. Epiſcopus pecuniam accepit, eamque data ſyngrapha inter egenos diviſit. Philoſophus autem aliquot adhuc annos cùm piè vixiſſet, moriturus ſuis liberis præcepit, ut ſibi in manum inſererent ſyngrapham iſtam, atque ſecum G unà ſepelirent. His ita factis, tertio pòſt die Epiſcopo in ſomnis viſus eſt Evagrius, ita alloquens: Accede ad ſepulchrum meum, Epiſcope, & recipe ſyngrapham tuam: redditum eſt enim mihi debiti centuplum, neque habeo, quòd à te exigam: ſed & quò pleniùs tibi caveretur, manu mea ſubſcripſi. Diluculo Epiſcopus philoſophi filios ad ſe vocavit, cumque ex iis reſciviſſet chirographum cum Evagrio fuiſſe ſepultum, cum clero urbis ad ſepulcrum acceſſit. Quo aperto, invenerunt philoſophum ſedentem, manumque cum charta protendentem. Quam cùm vellent clerici eximere, nemini eorum conceſſit. Epiſcopo autem manum explicante, eam ſtatim dimiſit, ac recubuit. Epiſcopus charta in conſpectu omnium aperta, invenit recens manu philoſophi ſubſcriptum ita: Evagrius philoſophus ſanctiſſimo Epiſcopo domino meo Syneſio S. Scias pater: me centuplum debiti recepiſſe, neque eo nomine habere, quod abs te exigam. Scripta ſcheda in armario aſſervari juſſa. *Cedrenus.*

Rhetores. H

Beatus Cyprianus oratoriam docens Carthagine, audivit tandem ſermonem Jonæ, & ad pœnitentiam converſus, in tantam venit virtutem, ut Chriſtum publicè prædicaret, & pro illo cervicem gladio flecteret. *Hieron. in Jonæ c.23.*

Medici.

Joſephus Hebræus medicus, hoc pacto converſus fuit. Baſilium Magnum morbo graviter affectum adiens, deprehenſis mortis ſignis, eum veſperi illius diei deceſſurum dixerat. Ibi Baſilius: Quid, inquit, & alterum diem ſupervixero? Se ille tunc Chriſtianum fore, reſpondit. Igitur Baſilius orando à Domino impetravit exitus dilationem: manèque hora tertia ſanus de lectulo conſurgens, ad Eccleſiam venit, ac Judæum tanto miraculo ſtupentem baptizavit: quæ ſæpè ante hac teſtimoniis ſcripturarum convictum flectere nequiverat. Mox deinde ad ſtratum ſuum rediens, ſubitò expiravit. *Marul.lib.2.c.7.*

Legati.

A Armuzienſis regis Legatus in Luſitaniam ad regem Emmanuelem pacis cauſa miſſus, ann. 1513. erat natione Siculus. Fuerat autem in pueritia à piratis captus, & Mahumetis diſciplinis imbutus. In Luſitania verò religione tactus, ſectam Mahumetis execratus, ad Chriſti fidem converſus, Nicolaus Ferreira deinceps appellari voluit. *Oſorius l.*10.*Rerum Emmanuelis.*

Captivi.

OLHA, ſoror Bogoris Principis Bulgarorum, capta Conſtantinopoli in aula religionem Chriſtianam edocta, baptizata, & Helena dicta, ad ſuos reverſa, pietatis veræ ſuſcipiendæ auctor fratri fuit. *Zonaras, & Cedrenus.*

Obſides.

Carolus Magnus Burchardo Herbipolenſi Epiſcopo duodecim Adoleſcentes, ex illuſtribus parentibus Saxonum natos, quos obſides acceperat, ſervandos, & erudiendos in doctrina pietatis commiſit: Oſnaburgenſi Epiſcopo ſcholam aperire præcepit. *Crantz. in Metrop. l.*1.*c.*2.

B

Publicani.

Zachæus publicanorum princeps, Chriſtum hoſpitio ſuſcipiens, quem videre flagraverat, xenia ab illo accepit meliorem mentem, & dimidio bonorum in pauperes erogato, remiſſionem peccatorum à Chriſto conſecutus eſt. *Luc.*19.

Latrones.

Mutio Ægyptius latro ☞ *Vide infrà, ab Angelis.*

Judæi.

☞ *Vide infrà. A Dæmonibus.*

Sub Tiberio Cæſare quidam Judæus Romæ agens gerebat ſe pro Moſaicæ legis interprete, adſcitis in ſocietatem tribus aliis per omnia ſui ſimilibus. His cùm ſe in diſciplinam dediſſet Fulvia mulier nobilis, amplexa legem Judaicam, perſuaſerunt ei, ut purpuram, & aurum in Hieroſolymitanum templum mitteret. Quæ tamen accepta illi in proprios uſus verterunt. *Joſeph. l.*18.*c.*3.*Antiq.*

Zenon Alexandrinus Judæus, publicè genti ſuæ nuncium remiſit: albo aſino, per eorum ſynagogam ſabbato, ut apud eos receptum eſt, traducto. *Suid.*

C Tantus erat in Siſebutho Veſtgothorum rege fidei zelus, ut ad ejus exhortationem nonaginta Judęorum millia ſuſcepto baptiſmi ſacramento ad Chriſtum converterentur. Ob id in Decretalibus, præſertim in titulo de Baptiſmo, religioſiſſimus Princeps appellatur.

Petrus Alfonſus à Judaiſmo ad Chriſtum converſus antequam baptizaretur, fidei ſuæ rationem reddidit, ut patet ex Præfatione Dialogi ipſius. Anno à nativitate Domini 1106. ætatis ejus 44. menſe Julio, die natali Apoſtolorum SS. Petri, & Pauli: Unde illi ob memoriam ejuſdem Apoſtoli nomen Petri impoſitum. Fuit pater ejus ſpiritualis Alfonſus, Hiſpaniæ rex, qui eum de ſacro fonte ſuſcepit: quare nomen ejus præfato nomini apponens, Petrus Alfonſi vocatus eſt. ☞ *Vide Tit. Doctorum Eccleſiaſticorum.*

Julianus, cognomento Pomerius, circa ann. Sal. 690. in Hiſpania claruit. Is ex Judæo Chriſtianus factus, tantam omnis generis doctrinæ, præcipuè autem ſacrarum literarum cognitionem eſt conſecutus, ut tertio poſt Ildefonſum ordine in Toletanum Archiepiſcopatum ſuffectus ſit. Scripſit vir iſte ſanctiſ-

D ſimus libros complures, obiitque 8. Kalend. Martii, quo in Eccleſia Toletana feſtum ejus celebratur. *Tarapha in Regibus Hiſp.*

A QUIBUS CONVERSI.

Ab Angelis.

CORNELIUS Centurio Cæſarienſis propter orationes, & jejunia, & eleemoſynas frequentes Deo charus, per viſum ab Angelo ad Petrum accerſendum monitus, cum tota ſua domo baptizatus, & ante baptiſmum Spiritum ſanctum percepit. *Act.* 10. Qui propterea quòd primus ex Gentibus credidit, primuſque gratiam baptiſmi ſuſcipere meruit, jure primitiæ Gentium dici poteſt, Origenis teſtimonio, ſuper *Numerorum libro.*

Petrus Conſtantinopolitanus, cognomento Telonarius ad pietatem converſus, per ecſtaſim, cùm opibus efflueret, dubitatum eſt, utrùm ditior, an avarior eſſet. Aliquando mendico cuidam ſtipem importuniùs petenti panem recens coctum ex furore in faciem ingeſſit: Inde adverſa valetudine correptus, narravit ſibi viſum fuiſſe, poſtquam horis aliquot exanimis jacuiſſet, ſe ante tribunal Dei in cœlo ſiſti, ab aliis accuſari, ab aliis defendi: in altera libræ lance peccata ſua appen- E di: in altera unicum panem illum, quem ipſe quondam projecerat iratus. Et cum exæquatum utrinque pondus ſtaret, reverti, ac pani ſuperaddere aliquid, quod præponderaret juſſum. Ubi convaluit, quæ cupidè conflaverat, liberaliter cœpit effundere, neminem indigentem opis ſuæ expertem fieri paſſus. *Marul. l.*1.*c.*2.

Mutio Ægyptius natura ferox, & latrociniis deditus, ita ut etiam ſanctorum delubra expoliando profanaret: vidit tandem in quiete virum forma, habituque auguſtiore, quàm humano, comminantem ſibi necem, niſi protinus à flagitiis, ſacrilegiiſque ſe ſubmoveret. Cùmque pavore perculſus repentè evigilaſſet, nihil moratus ad Eccleſiam confugit: & baptiſmate ſuſcepto eremum petiit, ubi & Abbatis dignitatem ſuſtinuit. Tantæque ſanctitatis fama brevi illuſtratus eſt, ut aliquando iter faciens, Solem ſtare (ſicuti de Joſue, & Ezechia legimus) feciſſe feratur. Jactent ſe gentiles Romani orbem ſubegiſſe terrarum, virtute, ac robore ante omnes ſemper ſtetiſſe. Sideribus imperare, non niſi fidelium fuit. *Marul. lib.* 2.*c.*8.*& l.*1.*c.*9.

In Perſia mulier, quæ Golinduch, genere, & ſuperſtitione F Magorum à ſingulari Dei conſilio per ἔκστασιν extra ſe rapta, ab Angelo Dei ad Chriſtianam fidem mirabiliter converſa eſt. *Niceph. l.*18.*c.*26.

Tempore Heraclii Imperatoris Heduinus rex Northanymbrorum converſus eſt à Paulino Epiſcopo, non quidem temerario auſu, ſed re diù, multùmque deliberata. Primùm enim ambiens Edilbergam filiam Edilberti regis Cantiorum non ita pridem ab Auguſtino converſi, hac conditione ei ſpes connubii facta eſt, ſi religionem Chriſtianam ſuſciperet. Quod dum promitteret, optatis nuptiis eſt potitus. Ac miſit Edilbertus, cum ſponſa Paulinum Epiſcopum, qui eum de doctrina Chriſti inſtitueret. Verùm ipſo diù fruſtrà laborante, tandem etiam Bonifacius Papa, per literas ad ipſum, & conjugem ejus ſcriptas, maximoperè argumentis, & rationibus eum ad amplectendam religionem eſt hortatus. Acceſſit & illud, quòd peculiari viſione eſt admonitus. Fugiens enim aliquando Edilfridum, qui ante ipſum regnarat, diù in exilio vagatus, tandem ad Redualdum Orientalium Anglorum regem divertit, vitam, ac ſalutem ſuam ipſi committens. Ibi cùm Redualdus ab Edilfrido ſollicitatus, decreviſſet vivum ipſum hoſtis tradere, aut domi interficere: iſque de ea re cer- G tior factus, per noctem vigilans ſederet, triſti gemitu mortem expectans: vidit intempeſta nocte ad ſe venientem virum incognitum, qui conſolatus eum dixit: Se non ſolùm ex hoc periculo ipſum velle eripere, verùm etiam ad regni faſtigium præter ſpem, & opinionem ſuam evehere, ſi promitteret, quod poſteà de certiori ſalutis æternæ via edoctus, itidem ſibi obtemperare vellet. Ille de vita, & regno anxiè ſollicitus, citrà hæſitationem illud promittit. Quare & divinitùs liberatus, mutante Redualdo ſententiam, & ipſum armis contra Edilfridum propugnante, ad regnum pervenit. Oblitus autem poſteà hujus divini beneficii, cùm Paulino prædicanti aſſentiri non vellet, aliquando rurſus ipſi eadem viſio comparuit, eum promiſſi commonefaciens. Inde nomen cepit, ut cum ſuis conſiliariis rem deliberaret. Cognoſcentes igitur illi de doctrina Paulini, cùm promiſſiones de reſurrectione mortuorum, & æterna beatitudine audirent, manibus, ac pedibus (ut dicitur) in ejus ſententiam iverunt omnes, ac Regi auctores fuerunt, ut amplecteretur illam religionem. Ita demùm Heduinus, relictis idolis converſus eſt. Et memorabile eſt, quòd H ejus archiflamen Coifi, meliora edoctus, ſuas aras, & fana primus ſuccendit. *Beda l.*2. *Eccleſiaſt. hiſt. Anglorum, c.*9. *& ſeq. Polydorus l.*4. *Anglicæ hiſt.*

A Dæmonibus.

Tempore Theodoſii junioris, multis Judæorum in Creta Chriſtiani facti ſcribuntur, hac occaſione. Quidam Moyſen ſeſe eſſe mentiebatur, ac promittebat ſeſe ipſos in terram repromiſſionis introducturum per mare ſicco pede, quemadmodum olim quoque feciſſet; nam ſe eundem eſſe, qui & mandatum haberet, ut hoc nunc denuò faceret. Quare omnes ſeſe præpararent, & ad diem certum univerſi adeſſent. Circuibat autem ſingulas totius inſulæ civitates, integri ferè anni ſpacio, Judæis ut fidem ſibi haberent perſuadens: monenſque omnes pecunias, & poſſeſſiones relinquerent, majora multò in terra promiſſa recepturi. Judæi hac ſpe faſcinari, res ſuas negligere, caſque alienis quibuſvis permittere. Ubi dies conſtituta advenit:

nit: multitudo, quæ copioſa confluxerat, ducem ſuum ſtrenuè A ſequitur. Ille cùm in ſcopulum quendam ſummum in pelagus ſe porrigentem eos duxiſſet, juſſit, ut omnes in mare deſilirent: nihil enim periculi fore. Id cùm quidam feciſſent, in undis perierunt: cæteri in locis abruptis, ac præcipitibus, in diſcrimen vitæ adducti ſunt. Moyſes ille confeſtim diſparuit. Quidam verò à Chriſtianis piſcatoribus, & mercatoribus, ex præſentiſſimis periculis liberati ſunt. Tandem autem fraude patefacta, plurimi ex iis, qui reliqui manſerant, Chriſtianam amplexi ſunt religionem. *Paulus Diacon. l.*14. *& Nicep. l.*14. *cap.*40.

CYPRIANUS Damaſcenus, primùm quidem magus, & gentilis, deinde verò Epiſcopus, Chriſtique martyr. Cùm enim totis maleficorum viribus Juſtinam virginem in amorem Aglai juvenis, qui eam deperibat, pellicere molitus fuiſſet: & dæmones re infecta reverſi, nullum ſibi in ipſam peccandi locum relictum dixiſſent, eo quòd crucis munimine caſtitatem ſuam protegeret: continuò relictis dæmoniis Chriſtianorum religionem ſequi decrevit. Baptizatus ergo, tantùm fide, & ſanctitate profecit, ut ad Epiſcopatum promoveri meruit, & martyrio coronari. Idem igitur, qui magis feminam vincere nullo mo-

B do potuit, Chriſtianus factus, tyrannorum tormenta facilè ſuperavit. *Marul. lib.*9.

Judæus quidam à dæmonibus mirabiliter converſus fuit. Fortè enim accidit, ut is ex Campania Romam profectus, ad clivum Fundanum veniens, in Apollinis templo pernoctare cogeretur. Media nocte dæmones adſunt, unus ex illis induſtriam ſuam in Andrea ejus loci Epiſcopo ad luxuriam cum Moniali, quam jam ſenex apud ſe alebat, patrandam, commovendo jactus à principe dæmonum ad rem perficiendam inſtigatus fuit: Incidentes deinde in Judæum (qui ſe, ſuperſtitione potiùs, quàm pietate motus, crucis ſigno munierat) quia cruce ſignatus erat, exclamarunt; Væ, Væ, vas vacuum, & ſignatum! hocque dicto diſparuerunt. Judæus manè rem Andreæ indicans, ad Chriſtum convertitur: Andręas à ſtupro præſervatur.

Habet *Euſebii* hiſtoria, quam *Ruffinus* interpretatus eſt, quædam de Apollinis fano, & oraculis in Alpibus, *lib.*7.*cap.* 25. Gregorio iter fuiſſe quondam per alpes dicitur, hyemis tempore, & cùm perveniſſet ad ſummum alpium jugum, nivibus repleta erant omnia, nullum uſquam diverſorium: fanum ibi tantùm Apollinis erat, cui ſuccedens, tranſacta no-

C cte diſceſſit. Sacerdos verò erat quidam fani ejus, cui conſulere ſimulacrum Apollinis mos erat, & reddere reſponſa poſcentibus, ex quo ei etiam alimoniæ quæſtus eſſe videbatur. Igitur poſt digreſſum Gregorii, offerre conſulta, & reſponſa poſcere ſacerdos acceſſit ex more, nihil inde reſponſi veniebat. Repetit victimas, ſilentium permanet, iterùm, atque iterùm litat, ſurdis ingerit fabulam. Cùmque ſtupore novi ſilentii æſtuaret ſacerdos, nocte aſſiſtens dæmonium, dicit in ſomnis: Quid me illic invocas, quò jam venire non poſſum? Percontanti cauſam, adventu ſe Gregorii dicebat expulſum. Quid remedii daretur, cùm perquireret: ait, non aliter ſibi licere ingredi locum illum, niſi Gregorius permiſiſſet. Quibus auditis, ſacerdos occupat viam: multaque apud ſemetipſum volvens, atque animo recuſante pertractans, pervenit ad Gregorium: adortuſque eum, rem pandit ex ordine, humanitatis ſuæ, atque hoſpitalitatis admonuit, querelam depulſi numinis promit, ademptamque facultatem ſui quæſtus deplorat, ac reddi ſibi omnia in priſtinum ſtatum depoſcit. At ille nihil

D moratus, ſcribit epiſtolam in hæc verba, Gregorius Apollini. Permitto tibi redire ad locum tuum, & agere, quæ conſueviſti. Hanc epiſtolam ſacerdos accipit, & fanum defert: poſitaque ea juxta ſimulacrum, affuit dæmon, ac dedit reſponſa poſcenti. Tum ille in ſemetipſum converſus ait: Si Gregorius juſſit, & Deus ille diſceſſit, nec potuit redire, niſi juſſus, & rurſum jubente Gregorio reſtitutus eſt, quomodo non multò melior iſto Gregorius, cujus hic obtemperat juſſis? Clauſis igitur januis fani, deſcendit ad Gregorium, epiſtolam ſuam, quam acceperat, referens, omnemque apud eum rei geſtę ordinem pandens: ſimulque ſe ad pedes ejus proſternens, rogat, ut ille ſe Deo offerat, cujus virtute diis gentium Gregorius imperabat.

A Mulieribus.

☞ *Vide Tit. Religionis doctores conjuges.*

Erat Juliano Imperatori Sacerdos Idolorum, cujus uxori amicitia interceſſerat cum muliere Chriſtiana, ad quam

ſæpe venit profani ſacerdotis uxor, ducens ſecum filium adoleſcentulum. Illa adoleſcentulum complexa, ad pietatem E Chriſtianam paulatim formavit. Mortua matre, adoleſcens pro conſuetudine ad mulierem illam quaſi ad magiſtram accedit ſæpiùs, doctrina ejus eruditur, & Chriſtianus evadit. Exoſus igitur patris ſuperſtitionem, quærit aliquando ex ea, Quonam pacto effugere patris ſui ſuperſtitiones poſſet? Reſpondet illa, patrem deſeri, & præferri ei Deum creatorem oportere. Dat ſimul conſilium, ut in aliam quandam civitatem ſe recipiat, in qua patrem latere poſſit. Veniam igitur, inquit, adoleſcens, ad te, animam meam apud te depoſiturus. Habitabat autem illa mulier Antiochiæ. Venit intereà Julianus Daphnem, ibique per ſeptem dies publicum feſtum celebrat. Adeſt ibi ſacerdos, & filium quoque ſe comitari juſſit. Ille verò opportunitatem nactus, fugit Antiochiam ad mulierem. Illa ducit eum in ædes Meletii Epiſcopi, qui adoleſcentem in ſuperiori domo occultare ſeſe juſſit. Sed pater inſecutus, cùm ad Meletii ædes veniſſet, fortè proſpicientem per cancellos adoleſcentem agnoſcit: in ædes irruit, abſtrahit, domumque reducit. Ibi cùm cauſam ſuæ fugæ, & odium ſuperſtitionis paternæ expoſuiſſet, abripit eum, ac flagris, & verubus candentibus excruciatum priùs, tandem in cubiculum includit, oſtio obſerato. Adoleſ- F cens inde miraculosè liberatus, poſteà etiam patri ipſi, ut Chriſtianus fieret, auctor fuit. Hæc ſe ex ipſo, ſed jam ſene audiviſſe, *Theodoret.* narrat, *l.*3.*c.*14.

JACOBUS Perſa, cùm anteà fuiſſet Chriſtianus, in gratiam regis Iſdigerdis ab Eccleſia deficiens, ad gentiliſmum tranſierat. Verùm hortatricibus matre, & uxore redierat ad Eccleſiam, gentilicæ vanitati uſque adeò renuncians, ut propter veritatis profeſſionem novum martyrii genus perferre non recuſaret. Nam regis juſſu reſecantur ipſi omnium membrorum ſinguli articuli, ita ut corporis tantùm truncus cum capite remaneret. Verùm cùm ne ſic quidem ad abnegandum Chriſtum adduci poſſet, tandem & caput ferro ei amputatur. *Nicephorus lib.*4.*c.*20. Hunc à ſupplicii genere alii Denodatum: alii Interciſum cognominarunt, alii Deartuatum vocant. *Marulus lib.*5.*c.*5.

A Poetis.

Romæ Secundianus Togatus, præfectus Decii, Verianus item pictor, & Marcellianus orator eloquentiſſimus, perſecutores omnes, & numinum cultores, commoti conſtantia Chriſtianorum, de religione eorum diſſerere, & confabulari G cœperunt. Ubi in manus atque mentem illis venere verſus illi Virgiliani, ex oraculis Sibyllæ deſcripti:

Ultima Cumæi venit jam carminis ætas,
Magnus ab integro ſeclorum naſcitur ordo:
Jam redit & virgo, redeunt Saturnia regna,
Jam nova progenies cęlo demittitur alto.

Quibus accuratiùs lectis, & conſideratis, afflati divino ſpiritu, religionem Chriſti ad martyrium uſque ſub Decio profeſſi ſunt. *Vincent. l.*10.*c.*50. Iiſdem quoque carminibus P. Papinius Statius junior poeta ad Chriſtum converſus ſcribitur à Dante Aligero. *Gyraldo, Dialog.*4.*hiſt. poet.*

A Captivis.

☞ *Vide Epititlum, & Miraculis converſi.*

ANASTASIUS Perſa magus, à captivis Chriſtianis in Perſide converſus, Hieroſolymam venit, ibique baptizatus, in monaſterium Anaſtaſii abbatis ſeſe abdidit. *Adon. Viennenſis ætate* H *ſexta. Beda de Ratione temporum ſub Heraclio.*

FROTHO Danorum rex, in Britanniam irruit, recuperaturus ſuorum majorum ditionem. A Chriſtianis, quos ſubegit, & ipſe Chriſtum agnovit, & ſigillo gratiæ obſignatus eſt. *Crantz. in Dania l.*44.*c.*15.*circiter annum Domini* 870.

Eutychius Conſtantinopolitanus Epiſcopus, corpora noſtra poſt reſurrectionem aerea, & impalpabilia fore aſſerebat: eo potiſſimùm argumento ductus, quòd in ſacris literis haberetur, Caro, & ſanguis non videbit Deum. Sed à Gregorio Magno legato Pelagii Pontificis, diſtinctione carnis, ad meliorem mentem converſus: Ite, ait, & Pelagio renunciate meis verbis: Scio, quòd redemptor meus vivit, quòdque in noviſſimo die hac pelle circumdabitur hæc caro mea, quòdque his oculis Deum meum ſim intuiturus.

In Perſide Chriſtianiſmum dilatatum eſſe, ſcribit *Paulus Diaconus ſub Arcadio imperatore*: idque occaſione regiæ tutelæ, & mediante Meſopotamiæ epiſcopo Marutha. Arcadius enim imperator vitæ ſuæ finem haud ita procul abeſſe ſentiens,

ne filiolus Theodoſius ætate immatura, vel etiam Reſpublica quid detrimenti caperent, inſtituit Perſarum regem Iſdigerdem tutorem filii, & Imperii. Ea res non parvam occaſionem præbuit ultrò citroque mittendi legationes. Qua cùm ſemel, atque iterùm fungeretur Maruthas epiſcopus Meſopotamiæ, ipſius pietate, & induſtria patefacta nimirum Magorum impoſtura, mirum in modum ampliata eſt in Perſide Chriſtiana religio. *Niceph.lib*1.*c*.18.

Quomodo. Converſi Ad Pietatem.

Miraculis.

Naaman Syrus à leprà curatus, Iſraelitarum religionem ſe in poſterùm profeſſurum pollicetur. 4.*Reg*.5.

Sergius Paulus Cypri proconſul, à Barieſu Elyma mago Judæo ſeductus, cùm Paulus Apoſtolus Elymam cæcitate percuſſiſſet, ad fidem Chriſtianam converſus eſt. *Act*.13.

Philippus Cuſtos carceris, cùm nocte media carceris fores omnes terræmotu apertas vidiſſet, Pauli Apoſtoli prædicatione ad fidem converſus eſt. *Act*.16.

Bartholomæo Apoſtolo in India templum ingreſſo, idolum Aſtaroth deſiit reſponſa dare, atque obmutuit. Demùm juſſu Apoſtoli, ſe non Deum, ſed diabolum eſſe, ſeductorem hominum confiteri cœpit, ut cùm ſibi cultum divinum exhibuerint, ſecum ſimul ad inferna ruant. Tunc rurſum jubente Apoſtolo, ſimulacrum in pulverem redigitur: teterrimus dæmon catenis igneis circumligatus, viſibiliter apparet; omnibuſque palam fit, quàm perverſa hactenus fuerit eorum religio. Ille magno, & horrendo edito ululatu, è medio abiit: populus convertitur, templum Deo vero dedicatur. Polemus rex baptizatur, relicto regno Apoſtolum ſequitur: ut in paupertate Chriſtum adoraret, qui in divitiis, & potentatu adoraverat diabolum. *Marulus libro* 2.*capite* 8.*& Sabellicus libro* 5.*capite* 4.

Dionysius Areopagita in Ægyptum abiit, unàque cum eo fuit Apollophanes rhetor. Tempore paſſionis Chriſti ambo fuerunt unà Heliopoli in Ægypto: cùmque defectus Solis contra naturam accidiſſet (neque enim interlunii tempore erat, ſed admirabiliter Luna in Solem inciderat, ab hora ſexta uſque ad veſperam, & in Solis oppoſitum ſupra naturam eadem fuerat reſtituta) Apollophanes quaſi vaticinans exclamavi: Vices hæ ſunt rerum divinarum. At Dionyſius reſpondit, Aut Deus patitur, aut vicem patientis dolet. *Michael Syncellus Hieroſolymitanus in laudatione magni Dionyſii, teſte Suida.*

Athenas reverſus, cùm Apoſtoli Pauli prædicationes audiſſet, & ea, quæ ſibi jam ſimilia veri videbantur, credere adhuc dubitaret, verbis fidem ſe habiturum dixit, ſi Paulus cæco, qui fortè aderat, Chriſti invocatione viſum reſtituiſſet. Tunc ille: Ne me, inquit, magico carmine uſum Dionyſi ſuſpicari poſſis, tutè ipſe accedens, cæco illi jube, ut videat in nomine Domini Jeſu Chriſti. Id ubi peregiſſet proſpero eventu, protinus Areopagum reliquit: atque Apoſtolum ſecutus, & ipſe Chriſtum prædicare gentibus cœpit. *Marul.lib*.2.*c*.10. Apollophanes in cæcitate ſua perſtans, Polycarpum virum ſanctiſſ. graviter inſectatus eſt. *Suidas.*

Constantinus Magnus Imper. idolorum cultum, cui impellente Fauſta uxore ſua aliquandiù adhæſit, adeò ut etiam ſacrificarit, poſt Maxentium devictum abnegavit: baptiſmum verò in ſenectam uſque diſtulit, quòd profectionem in Perſas ſuſcipere, & in Jordane baptizari ſecum conſtituiſſet. Converſus eſt in hunc modum. Factus Imperator, cùm illa ſibi animo propoſuiſſet, quæ regno neceſſaria eſſe intelligeret, primùm omnium de Deo, quem coleret, cogitare cœpit: ſcilicet, eum, quem pater ſuus Conſtantius coluiſſet, regnique cuſtodem, & omnis boni largitorem expertus eſſet, colere ſecum conſtituit. Mox precibus invocat eum Deum: ac ut ſe, quis eſſet, oſtenderet ſibi, orat. Hæc indeſinenter oranti oſtentum trophæi crucis è luce conſtructi, in cœlo declinante die tum ſibi tum exercitui ſuo apparet, additam habens ſcripturam hanc: In hoc vinces. Obſtupefactus eo ſigno, dum cogitabundus ſecum quærit, quorſum pertineat, aut quid moneat nocte illa proximè ſequenti, dormienti ſibi adſtitit, cum ſigno, quod in cœlo viderat, Chriſtus, monens, ut ad ejus formam trophæum compararet, eoque contra hoſtes præſidii loco uteretur. Hoc ab Imperatore audiſſe ſe jurejurando affirmari *Euſebius tradidit lib*.1.*de Vita Conſtantini*. Tale igitur ſignum fieri Imperator curat: jubet & illius ſimilitudines præferre omnem exercitum. Deinde ad ſe ſacerdotes vocat, de Deo illo, & ratione ſigni, quod ſibi apparuerat, doctrinam ab iis exigens. Illi de Deo uno, ac filio ſuo, de cauſis adventus ejus in carnem, accuratiſſimè eum inſtruunt. Ipſe verò cupidiſſimè, & cum gaudio, quæ dicerent illi, animadvertit, & animum ad lectionem divinarum ſcripturarum adjungit, cœleſti illa viſione, & admonitione ſubinde ſeſe confirmans. Signum illud poſteà Imperator, Maxentio victo, Romam ingreſſus triumphans intulit, Senatum exhortatus, ut veri Dei cultum amplecteretur. Senatus Imperatoris pedes complectitur, lacrymis obortis colla vexillis inclinat: Chriſtum, cujus & nomen, & ſignum arma triumphantia oſtentabat, adorans. Itaque, ut *Prudent. lib*.1. *contra Symmachum* ſcribit.

Tum primùm ſenio docilis tua ſecula Roma
Eripuit, pudet exacti jam temporis, odit
Præteritos fœdis cum relligionibus annos.

Nicephorus libro 7.*capite* 34. anno eo, quo Conſtantius baptizatus ſit, duodecies mille viros, exceptis mulieribus, & pueris ad Chriſtum acceſſiſſe, & baptizatos eſſe, ſcribit.

Antiochiæ paganus quidam ex ordine judicium ejus loci, cùm excubans noctu ad prætorium, ex tractu quodam, & congerie ſtellarum ductu in cœlo, & deſcripta, legiſſet hæc verba: Hodie Julianus in Perſia occiditur, ſive tum ex nece Juliani, religionem, pro qua tantopere Julianus depugnarat, falſam eſſe ratiocinatus eſt: ſive quis alius acceſſit motus: hac viſionis occaſione Chriſtianam religionem amplexus eſt. *Zon.*

Cùm Valens Imp. monachos Alexandrinos perſecutionibus affligi lege præcepiſſet, Lucius Arianus continuò monaſteria in Ægypto tyrannide aggreſſus eſt: aliiſque poſt alios diverſis ſuppliciis affectis, aliis pulſis, & fugatis, patres monachorum, qui tum ambo Macarii erant, Ægyptius & Alexandrinus, exilio mulctavit. Relegati igitur in inſulam quandam Paludium, quæ neminem Chriſtianum habebat incolam: templum ibi offendunt, quod curabat ſacerdos, quem inſulani omnes tanquam deum venerabantur. Confeſtim autem horum præſentia turbati dæmones, ſacerdotis ejus filiam furore corripiunt. Quæ omnia ſubvertens, horribiliter vociferabatur, & ad pios eos viros hoſpites ſubinde dicebat: Ad quid huc veniſtis me ejecturi? Illi puellam à dæmone liberant: reſtitutam ſanitati in fide Chriſtiana erudiunt, & convertunt. Mox etiam Sacerdotem ipſum, cum omnibus ejus inſulæ incolis baptizarunt. Atque hac occaſione exilii ſanctorum virorum, ea inſula Chriſtiana facta eſt. *Ruffin.l*.2.*c*.4. *Socrates l*.4.*c*.24. *Theodoretus l*.4.*c*.21. *Socom.l*.6.*c*.20.

Tempore Attici, Joan. Chryſoſtomi ſucceſſoris, Judæus paralyticus multis annis, quem nec medicorum ars, nec Judæorum preces ſublevare poterant à paralyſi, dum ex fide baptizatur, liberatus Conſtantinopoli, & converſus fuit. *Socom. lib*.7. *cap*.4.

Extat inter opera Athanaſii libellus de paſſione imaginis Chriſti, in quo commemoratur, Judæos in Syria, in urbe Barytho imaginem Chriſti olim à Nicodemo compoſitam, & vaſtata Hieroſolyma in Syriam tranſlatam, crucifixiſſe: & lancea dextrum ejus latus perfoſſum, aquam & ſanguinem emiſiſſe, & hydriam compleviſſe. Eo verò cruore Judæos unxiſſe paralyticum, & alios quamplurimos ægrotantes, eoſque ſubitò priſtinæ valetudini reſtitutos eſſe. Quamobrem Judæos converſos, religionem Chriſtianam ſuſcepiſſe, & baptizatos eſſe à metropolitano, qui etiam cruorem illum vitreis ampullis exceptum, per Aſiam, Aphricam, & Europam miſerit. Sed librum illum Athanaſii non eſſe, facilè ex phraſi agnoſcitur. *Sigebert*. anno Domini 765. hoc accidiſſe ſcribit.

Cùm Deuterius Arianorum Epiſcopus Byzantii Barbam catechumenum baptizare vellet, contraque fidei regulam, & Chriſti inſtitutionem hiſce verbis uteretur: (Baptizo te Barba in nomine patris, per filium, in Spiritu S.) aqua quæ ad baptizandum fuerat allata, ſubitò evanuit, & diſparuit. Quo viſo, Barba ad orthodoxos tranſivit: & baptiſmo juxta Chriſti inſtitutionem accepto, Catholicæ Eccleſiæ ſeſe piè adjunxit. *Paulus Diac. l*.15.*rerum Romanarum, in hiſtoria Anaſtaſii.*

Oppidum quoddam eſt inter Perſas, & Indos, nomine Tzundadaero, in quo cùm rex Cabades multas pecunias, & precioſas gemmas aſſervari audiiſſet, ejus rei, ut veritatem cognoſceret, iiſque unà cum oppido potiretur, nihil intentatum reliquit. Verùm quò minùs, quod volebat efficeret, dæmones, qui locum, & theſaurum illum inhabitabant, & cuſtodiebant, obſtitere. Cùmque Perſica magia, & evocationibus locum illum dæmonibus firmiſſimè obtinentibus, occupare non poſſet, per Judæorum magiam rem expedire aggreſſus eſt. Sed cùm per eos optatis, votiſque ſuis potitus non eſſet, per Chriſtianos tandem ſe, quod conabatur, confecturum eſſe arbitratus eſt, quos adverſus dæmones poteſtatem recepiſſe audiverat. Itaque Chriſtianorum, qui apud Perſas erat, Epiſcopum ad ſe vocavit: qui eam ob rem ſynaxi, & conventu Eccleſiaſtico popularium ſuorum coacto, oratione dæmones profligavit, & Cabadæ ſine labore oppidum illud tradidit. Hac re conſternatus Perſa, ſupernæ dignitatis prærogativa Epiſcopum illum cohoneſtavit, cùm ad id uſque tempus Judæi, & Manichæi ſedes primarias obtinuiſſent. Ab eò porrò tempore, & quicunque vellent, Chriſtianorum ſacra, fidemque amplecterentur, poteſtatem liberam omnibus permiſit, quam ille anteà extremè perſecutus fuerat. *Theodorus Lector lib*.2. *Collectaneorum*, *Nicephorus lib*.17.*c*.39. *Paulus Diaconus lib*.15. *in Juſtiniano ſeniore.*

Tempore Jo. Chryſoſtomi Mulier quædam Conſtantinopoli, ex Macedoniana factione, cum marito templum Orthodoxorum ingreſſa, famulæ mandaverat, ut myſteriorum tempore, ad percipiendam ſynaxin adferret quippiam, quo ipſa veſceretur. Ergo quod à ſacerdote acceperat, manu, quaſi oratura procumbens, continens, id quod famula attulerat ori ingeſtum. (*Niceph. lib*.13.*c*.7. panem communem fuiſſe aſſerit) in lapidem indureſcere ſenſit. Prodigio eo territa ad Epiſcopum ſupplicii divini metu properans, rem omnem aperuit: lapidem ſimul morſus veſtigia habentem oſtendens: ac pœnitentiam lacrymis teſtata, cum marito ſe conſenſuram deinceps promiſit. *Sozomen. lib*.8.*c*.5.

Conſtantinopoli Judæi cujuſdam Uxor, ac Filius, hoc occaſione baptizati, & fidem Chriſti amplexi ſunt. Moris erat Conſtantinopoli eulogias, ſeu panem benedictum pueris ſcholam frequentantibus diſtribuere. Cum quibus fortè fortuna Judæi cujuſdam vitriarii filius unà acceſſit, & de reliquiis benedicti panis comedit. Parentibus moræ, & abſentiæ cauſam à puero ſciſcitantibus, puer ubi fuiſſet, & quod comediſſet, patri ſignificat. Pater ira commotus, eam ob rem puerum in ardentem furnum, ubi vitrum formari ſolebat, incluſit. Mater verò cùm diù cum ſummo animi dolore filium per civitatem quæſitum invenire non potuiſſet, triduò pòſt ſtans ad mariti officinam, lacrymabili voce filium vocat. Mox puer agnita matris voce è furno reſpondet. Mater apertis foribus, videt puerum illæſo corpore in medio ardentium ſtare carbonum. Qui interrogatus, Cujus opera fuiſſet ſervatus? reſpondit: Mulierem quandam purpura veſtitam, crebrò ad ſe veniſſe, & porrecto cibo, & aqua carbonibus vicinis extinctis, ſe conſervaſſe. Hac re Juſtinianus Imp. cognita, filium, matremque baptizari, patrem verò ut homicidam necari juſſit. *Evagr. lib*.4.*c*.36. *Cedren. ſub Juſtino Curopalate.*

Dùm apud Iberos Aſianos ad Euxinum habitantes (qui hodie Georgiani dicuntur) mulier Chriſtiana captiva vitam pudicam duceret, & dies, ac noctes in oratione conſumeret: admirationi Barbaris fuit. Quibus ſciſcitantibus, cur tantoperè ſe affligeret? Ita ſe ſuum Deum colere, reſpondit, qui Chriſtus eſſet. Nihil ex hoc ampliùs admirati Barbari, quàm novitatem nominis, mulierculam in honore habuerunt. Mos gentis erat, parvulos, cùm ægrotarent, per vicinas domos à matribus circumferri, remedia exquirentibus. Mater quædam, cùm puerum aliquandiù circumtuliſſet, nec ſalutare quicquam inveniſſet, captivam adiens ejus opem petiit. Illa ſe humani nihil ſcire teſtata eſt, ſed Deum, quem coleret, Chriſtum deſperatam ab hominibus ſalutem poſſe conferre, parvulumque cilicio ſuo ſuperimponens, & orationem ad Deum fundens, ſanum matri reddit. Implevit urbem facti rumor, & ad reginam perlatus eſt, quæ dolore quodam afflicta ad captivam ſe ferri curavit, cùm illa regiam domum ingredi recuſaſſet. Reddita eſt reginæ ſanitas atque admonita, ut in Chriſtum crederet, & eum coleret, qui ſalutem præbuiſſet. Rogavit regina virum, ut Chriſtianus efficeretur. Quod quanquam ille promiſiſſet, ſegnis tamen erat, nec ſæpiùs ab uxore commonitus baptizari curabat, non tam fidei hoſtis, quam dubius. Contigit eum in altiſſimas ſylvas ire venatum. Quò cùm perveniſſet, orta ſubitò tempeſtate, ita tenebræ cuncta operuere, ut nec ipſe comites cerneret, nec cerneretur ab illis. Ignarus quid ageret, promiſſionis conjugi factæ recordatus eſt. Chriſtumque rogavit, ut ſi Deus eſſet, ex tantis ſeſe periculis eriperet. Nec mora, dies reddita eſt, & rex ad urbem incolumis perductus. Qui reginæ, quæ geſta erant, miraculi loco expoſuit. Vocatur captiva, audit conſilium ejus. Illa reiicienda idola, & Chriſtum colendum dicit, eique ſupplicandum, & baſilicam faciendam. Convocato populo rex Evangelium dicat, & nondum ſacris initiatus, fit ſuæ gentis Apoſtolus. Credunt viri per regem, feminæ per reginam: conſtituitur templum magni operis, & elevato murorum ambitu, columnæ collocantur. Sed prima, ac ſecunda erecta, tertia nullis machinis erigi poteſt, nulliſque viribus. Cùm ad ad noctem uſque laboratum eſſet, recedentibus omnibus ſola captiva apud templum in oratione perſeverat. Poſtera die, prima luce, redeunte populo, columna reperta eſt ſuper baſim in aere ſuſpenſa, quantum eſſet unius pedis ſpacium. Mirantibus, ac ſtupentibus omnibus, ſenſim ſupra baſim ſuam, nullo contingere, deſcendit. Mox reliquæ columnæ magna facilitate erectæ, & collocatæ ſunt, perfectum templum: & populi fide confirmata, ſuadente captiva, totius gentis legatio ad Imperatorem Conſtantinum mittitur: res geſta exponitur, & ſacerdotes petuntur, qui cœptum erga ſe munus impleant. Ferunt, Conſtantinum non minùs hoc nuncio lætatum, quàm ſi gentes Romano imperio incognitas viciſſet, Iberis jucundiſſimo vultu ſatisfeciſſe. *Ruffinus in Eccleſiaſtica hiſtoria* hæc ſibi Bacchurium ipſius gentis regem narraſſe affirmat Hieroſolymis, cùm Palæſtini limitis ducem ageret. *Ruffinus lib*.1.*cap*.10. *Socrates*. *lib*.1.*c*.20. *& Sozomenus lib*. 2. *c*.6. Mirum verò eſt, *Theodoretum lib*.1.*c*.23. miraculum columnæ præterire.

Multæ barbaræ gentes maximo numero Thraciam egreſſæ in Aſiam irruerant, contra Romanos bellum molientes. Sacerdotes captivi abducti plurimas ex iis converterunt, cùm ægrotos eorum Chriſto invocato curarent, & vita inculpabili, virtutibuſque illis eſſent admirationi. *Sozomen. libro* 2. *cap*. 6.

Tempore, quo Longobardorum duces Galliam invadebant, in urbe Nicæa concluſus, & catenis conſtrictus fuit Hoſpitius anachoreta vir, ut pietatis doctrina, & miraculis clarus, ita vitæ ſanctimonia, & victus temperantia ſpectatiſſimus. Hic ſingulari Dei ſpiritu longè antè prædixit, Longobardos in Galliam venturos: & ob enormem, ac quotidie ingraveſcentem hominum impietatem, & extremam erga Dei verbum ingratitudinem, ſeptem everſuros Galliæ civitates. Cupiens autem ſervari ſuos monachos, & ex imminenti exitio liberari, jubet eos urbe aliò excedere, & ſecum, quæ haberent, exportare: jam enim barbaram gentem adventare. Monachis inde profectis irruit Longobardorum exercitus: qui dum omnia (ut fieri aſſolet) armis, ferroque vaſtarent, ac inquirerent, veniunt ad cœnobium, ubi Hoſpitius incluſus erat. Quem cùm per feneſtram è turri proſpectare viderent, nec facilè accedere ad eum poſſent, duo conſcenſo, & aperto tecto, eum in turri catenis obſtrictum, ac cilicio involutum offenderunt. Cùm autem quærerent cauſam vinculorum ejus, ille homicidam ſe eſſe & omnium criminum reum apertè, ſed falsò fatetur. Tum alter militum educto gladio, & extenſa manu, caput ipſi amputare conatur. Verùm ejus dextera in ipſo ictu confeſtim immobiliter ſuſpenſa exareſcit, gladio humi delapſo. Socii ejus rei inſolentia ſtupefacti, magno clamore ab Hoſpitio, quid ſibi faciendum eſſet, flagitant. Ille divina virtute arefactum brachium ejus priſtinæ ſanitati reſtituit. Hoc miraculo Longobardus miles permotus, Chriſti fidem complexus, ad finem ſuæ vitæ religioſiſſimè coluit, & profeſſus eſt. *Paulus Diac.l*.3.*de Geſtis Longobardorum*, *c*.1. *Regino l*.1. *Bonfin. Decadis* 1.*l*.7.

Alaphio quidam à dæmone correptus, cùm nec Ethnicorum, nec Judæorum ſuperſtitioſis ritibus, & incantationibus ſanari potuiſſet: ab Hilario monacho ad Chriſtianorum religionem cùm omni familia converſus eſt. *Sozom.l*.7.*c*.15.

Saracenorum princeps Zocomus ad celebrem quendam abiit monachum, queritur ſe prole deſtitui: quòd Saraceni maximè infamiæ loco habent. Monachus prolem certam promittit, ſi in Chriſtum credat, principem bono eſſe animo, & in regiam ſuam reverti jubet. Intereà pro principis ſobole preces aſſiduas ad Deum fundit. Exauditur, ac naſcitur ſuo tempore Zocomo filius hæres. Hic eventus occaſio fuit, ut & religionem Chriſtianorum Zocomus acceperit, & ſubditis ſuis ſimul omnibus eandem amplecti præceperit. *Sozom.lib*.6. *cap*.38.

Roſſi à Baſilio Macedone circa annum Domini 875. bello afflicti, pacem petierunt. Quam cum illis daret, poſtulavit, ut doctrinam Chriſti amplecterentur. Ergo epiſcopum ad eos miſit. Is primùm docere eos de Chriſto, ejuſque miraculis, quibus

bus doctrinam Evangeliis confirmatam ajebat. Illi viciſſim A ad miracula potiùs, quàm ad doctrinam attenti, negabant, ſe poſſe novum dogma amplecti, niſi Chiſtus etiam ſibi ſignum ederet. Epiſcopus juſſit eos ſignum poſtulare, quod vellent. Petunt illi, ut librum, in quo doctrina ſcripta eſſet, in ignem coniiciat, ac ſi contra vim flammarum eum integrum præſtat Jeſus, ſe credituros in eum promittunt. Rogus accenditur, Epiſcopus librum in ignem ponit inquiens: Glorifica nomen tuum, Chriſte Deus. Ibi cùm flamma codici pepercíſset, Barbari, verbo fidem adhibentes, baptiſmo initiati fuere. *Zonaras tom.3.*

Sub imperio Theodoræ, & Michaelis, circiter annum Domini 851. ſeu 860. *juxta Cromerum de Polonis lib.3.cap.*1. tota Bulgarorum gens, Chriſtiana facta eſt, hujuſmodi de cauſis. Soror Bogoris principis Bulgariæ capta, Conſtantinopoli in aula verſabatur. Cùm autem erudienda doctoribus eſſet commiſſa, literas, & prima elementa fidei Chriſtianæ didicit, ac baptizata eſt, & pro Olha dicta eſt Helena: ut patet ex *Annalibus Ruſſorum*. Reverſa in Bulgariam, fratri commendat religionem Chriſti, & crebrò B de ea cum illo ſermonem confert. Sed ille patrias ſuperſtitiones defendit. Intereà peſtis regionem invaſit, ac tam crudeliter undique graſſabatur, ut libitina non ſufficeret. Anxius rex ſororem rogavit, ut huic malo remedium cogitaret. Quæ ſolùm Chriſtum ſervatorem populi pereuntis aſſeruit. Invocato itaque auxilio Dei, ut peſtis ſedaretur, rex baptizatus cum populo, omnes Chriſtiani effecti ſunt: accerſito quodam ſacrorum pontifice, à quo myſteria fidei acceperunt: Sacerdotes, & magiſtri ethnicæ ſuperſtitionis, ſeditionem concitaverunt adversùs regem. Sed is auxilio Dei munitus, hoſtium impetus ſuſtinuit, & ſuis omnibus perſuaſit, ut in fidem Chriſti conſentirent. *Zonaras tom.3. & Cedren.*

Tempore Caroli Magni, Bero II. Svecorum rex fidem Chriſti amplexus eſt: verùm populus paulatim ad religionem Ethnicam rediit. Ericus Aorſol, ſive Stenchillus, iterùm de amplianda Eccleſia Chriſti in ſuo regno cogitavit, tali occaſione. Sacrificulus Ethnicus, ſpectante populo, ſacrificia idolis oblaturus ſubita cęcitate percuſſus eſt, ne poſſet, quod cœperat, perficere. Is divinam ultionem agnoſcens, & C ad Chriſtum ſe convertens, miraculosè viſum recepit. Gratus igitur Chriſto benefactori, cœpit fieri præco Chriſtianæ religionis. Quæ res univerſum populum commovit, ut ſalutare lavacrum ſuſciperet: Rex Ericus protinus à Metropolitano Bremenſi duos accerſivit doctores, Adalvardum, & Stephanum. *Olaus in hiſt. Septent. l.*17.

Anno Chriſti 513. cùm Edilbertus rex Cantuariorum, qui primus Eccleſiæ in Anglia hoſpitium dederat, mortuus eſſet, filius ejus Cadbalo, ſeu Cadualde, non ſolùm Chriſti fidem recipere recuſavit: verùm etiam diſſolutiſſimè vivens, uxorem patris ſui duxit. Quo ſcelere occaſionem dedit ſuis ſubditis, ad gentilium ſuperſtitiones revocandas. Ad eam rem etiam non parum adjumenti afferebant tres Sigeberti filii palàm ethnici. Sævientibus igitur regibus illis, coacti ſunt pii doctores aufugere ex Anglia: & jam Mellitus, ac Juſtus in Gallias redierant. Cùm verò Laurentius quoque ipſos ſequi vellet, & jam fugam adornaret: ecce noctu viſio ipſi apparuit, quæ duriter ipſum flagellans, minas inſuper addidit, ne propter vitæ pericula gregem ſuum deſereret. Illud cùm mane regi Cad- D baldo ſignificaret, ſimul vibices ipſi in corpore oſtendens, flexit eum, ut illegitimo conjugio abdicato, fanîſque idololatricis deſtructis ad pietatem rediret. Inde Eccleſia collapſa reſtaurata eſt, & revocati ſunt Juſtus, ac Mellitus ex Galliis, qui poſt annum in ſua loca redierunt. *Beda Eccleſiaſticæ hiſtoriæ lib.2.c.5.& 6.*

Auſtrales Saxones, quorum tota provincia fuit divini nominis, & fidei ignara, converſi & baptizati ſunt per Vilfridum Epiſcopum exulantem. Quo docente, & baptizante, cùm anteà per tres integros annos nulla in eam regionem pluvia decidiſſet, & inde magna eſſet fames ſecuta, adeò ut homines paſſim interciderent: ſubitò largiſſimus imber deſcendit, quo refloruit terra, & rediit viridantibus arvis annus lætus, & frugifer. *Beda l.4. Angl. hiſt.c.*13.

Somnio.

Conſtantia, Conſtantini Magni Imp. filia virgo jam adulta, medicinam ulceri inſanabili, quo vehementer affligebatur, exquirens, amicorum monitu ad ſepulchrum S. Agnetis virginis, & martyris intempeſta nocte acceſſit, ac licèt gentilitate adhuc imbuta, tamen credula, ut S. inquit, Ambroſius, E animi intentione preces fideliter fundere cœpit, ac repentina ſomni ſuavitate correpta, in quiete ſibi audire viſa eſt Agnetem præcipientem, ut in Jeſum Chriſtum crederet, & certam ab illo valetudinem expectaret. Divino viſo virgo paruit, & continuò ſanitati priſtinæ reſtituitur, domumque reverſa receptam valetudinem patri gratulatur. Qua re cognita tota civitas coronata in lætitia magno cum infidelium dolore verſatur. Itaque cum multis ex aula Imperatoris baptiſmum ab Epiſcopo Sylveſtro accepit, atque ibi templum S. Agneti, & ſibi Mauſoleum, patre impenſam ſuppeditante, conſtruxit. *Sigonius lib.3. Imp. occid.*

Gennadius Medicus Carthaginenſis, immortalitatis animorum argumentum certiſſimum in ſomnis accepit. Vidit enim bis per quietem juvenem, qui primò urbem pulcherrimam ei oſtendit: deinde poſtera nocte reverſus petiit, An eum agnoſceret? reſpondit: Et noſſe ſe illum, & ſomnii meminiſſe. Iterùm ab eo interrogatus, Ubi ejus corpus eſſet, & quid ageret? Cùm reſpondiſſet, In lecto eſſe, ac dormire: argumento, cui reſponderi non poterat, didicit, quemadmodùm tunc dormiens cernebat per quietem, quamvis clauſis oculis corpus in lecto jaceret: ita vita functo homine crederet ejus F ſpiritum vivere, ac videre poſſe, quamvis tumulo clauſum corpus in lecto maneret. A ſomno igitur excitatus, hoc oraculo, ut rectè crederet, monitus eſt. *Fulg. lib.1.c.5.*

Prædicatione.

Cùm Turbæ irruerent in Dominum Jeſum, ut audirent verbum Dei, ſedens docebat de navicula turbas. Petrus cum ſociis, deductis ad terram navibus, iiſque relictis, ſecuti ſunt Dominum. *Lucæ* 5.

Maria ſoror Marthæ ſedens juxta pedes Domini audiebat verbum illius: & audivit tandem Dominum dicentem. Maria optimam partem elegit. *Lucæ* 10.

Audientes Gentes quòd Judæi repellebant verbum Dei, & quòd Paulus, & Barnabas volebant prædicare eis, gaviſi ſunt, & crediderunt, quotquot erant præordinati ad vitam æternam. *Act.* 11.

Quidam Lyſtrenſis, qui nunquam ambulaverat, audivit Paulum loquentem. Paulus autem videns, quòd fidem haberet, ut ſalvus fieret, dixit ei: Surge ſuper pedes tuos rectus. Exiliit ergo, & ambulavit. G

Lydia purpuraria civitatis Thyatyrarum, Philippis Macedoniæ à Paulo Apoſtolo converſa ad fidem Chriſti, hoſpitalitate mira pios omnes fovit. *Act.*16.

Veniens Paulus Berrhœam, intravit Synagogam Judæorum, & quidam ſuſceperunt verbum omni aviditate, quotidie ſcrutantes Scripturas, an hæc ita ſe haberent. *Act.*17.

Cùm audiſſent Athenienſes Paulum loquentem de reſurrectione mortuorum, quidam irridebant, quidam verò dixerunt: audiemus te hoc iterùm. Sic Paulus exivit de medio eorum. Quidam verò adhærentes ei crediderunt, in quibus Dionyſius Areopagita, & mulier nomine Damaris, & alii cum eis. *Act.*17.

Aquila cum uxore Priſcilla Corinthi à Paulo Apoſtolo converſus. *Act.*28.

Petro Hieroſolymis Chriſtum evangelizante, die uno tria millia Judæorum baptizata ſunt: & quidem in tanta fidei unitate, ut omnia inter eos communia haberentur. Altero etiam H die eorum, qui Chriſto credidere quinque millium numerus fuit: indies prætereà creſcente multitudine, de ſynagoga ad Eccleſiam, de circumciſione ad baptiſma ſalutis confluentium. *Marul. lib.2.c.5. Sab. l.5.c.4.*

Magorum princeps Simon Samaritanos præſtigiis dementabat, & eò temeritatis proruperat, ut ſe Dei virtutem magnam diceret. At cùm Philippus diaconus illo acceſſiſſet, & Evangelium Chriſti miraculorum operationibus confirmaſſet, Samaria verbum Dei accepit, & ad baptiſmum ſimul venit. Simon ubi ſe Philippo longè inferiorem vidit, & ipſe credere ſe dixit, baptizarique voluit: non fidei ardore, ſed operum, quæ ipſe facere nequibat, cupiditate, ratus, recepto baptiſmate ſe etiam æquè grandia, admirandaque facturum. *Marul. lib.1.c.9.& Sab. lib.5.c.4.*

Quidam Cyprii, & Cyrenæi, cùm introiſſent Antiochiam, loquebantur ad Græcos, annunciantes Jeſum, multuſque numerus converſus eſt ad Dominum. *Act.*11.

D. Jo. Chryſoſtomi opera Scytharum plurimi Conſtantinopoli ab Arianiſmo ad ſanioris doctrinæ puritatem revocati ſunt,

ſunt, idque hac ratione: Subſtituti ſunt aliquot Scythicæ lin- A guæ presbyteri, diaconi, & ſacrorum lectores, iiſque una Eccleſia aſſignata, in qua cùm ſinceram doctrinam fideliter, & perſpicuè traderent, multi, qui aberraverant, in rectam viam ſunt reducti. *Theodoret. eodem l.c.*30.

D. Auguſtinus Mediolani Ambroſii prædicatione, & hortatu, Manichæorum impietatem execratus, cui fuerat ab initio addictus, annos duodetriginta natus (alii quadriennium adiiciunt) ad fidem converſus eſt. Eum Ambroſius baptiſmi lavacro extulit, ubi medio actu pius ille antiſtes canticum exorſus: Te Deum, inquit, laudamus: cui ſtatim illud ſubjecit Auguſtinus: Te Dominum confitemur. Mox divino afflati ſpiritu alternis ambo verſibus carmen peregere. *Marul. lib. 2.c.*11.*& Sab. l.9. Enn.7.*

Heduino rege Northanymbrorum converſo à Paulino, tantus fuit fervor Populi, ut cum rege, & regina expatiatus quondam Paulinus ad villam regiam à ſummo manè ad feram noctem confluentem ex omnibus vinculis populum incredibili numero & docuerit, & in proximo flumine Glebi baptizaverit. *Beda l.2. hiſt. Anglorum c.*14.

Ad Sclavos, & Polonos Cyrillus, & Methodius propaga- B runt doctrinam Chriſti, & vernacula lingua ſacra inſtituerunt, anno Domini 861. *Funccius, Aneas Sylvius lib.1. cap.16. ſub Arnulpho.*

Inter Danos inteſtino bello orto, Harioldus, ſeu Eveldus regno exutus, ad Ludovicum Pium Imp. confugit, anno Domini 815. Apud eum de religione Chriſti inſtitutus, remittitur in Daniam cum Anſgario monacho. Sed neque rex, neq; Anſgarius à Danis tum receptus eſt. Harioldus ad Ludovicum reverſus, cum uxore, & filiis baptizatur Mogunti à Rabano, & parte quadam Daniæ à Francis occupatæ donatur, anno Domini 825. *Sigebertus, Scotus, Crantzius, Gaguinus, Martinus in Chronico, Aimoinus lib.4.c.*113. Anſgarius etiam Hamburgi Epiſcopus conſtitutus, ſedulò cum ſuis laboravit de Danorum converſione: ac ad eam rem homines idoneos in ſcholis præparavit. Tandem ſub Ludovico II. ad Ericum regem Danorum miſſus, cùm de aliis, quæ erant apud eum expedienda tractatum eſſet, petiit ab eo, ut ſibi liceret populum ejus de Chriſti fide docere: & impetravit edictum: Ne quis volentes baptizari, & fidem Chriſti amplecti, impediret. Hoc privilegio fretus, Eccleſias erexit, ſacerdotes, ac doctores ad meſſem faciendam miſit. *Helmedus c.5. de Sclavis, Saxo de Danis. Crantz.* C *in Metropoli l.1.c.4. Joannes Magnus lib.17.c.2.*

Reprehenſione.

Uſthazares regis Saporis quondam Pædagogus (ut *Nicephorus* ait) à Chriſto defecerat, regi gratificatus. Eum, dum ad carcerem Simeon Epiſcopus Perſarum ducitur, videns ſedentem fortè ad oſtium regiæ domus, excandeſcens, graviter verbis increpavit, quòd cogi ſe ad adorandum Solem paſſus eſſet. Uſthazares hac objurgatione motus, lapſum ſuum acerrimè dolens, & à Deo peccati veniam precatus, profeſſionem abjectam repetiit. Res defertur ad regem. Conatur eum rex partim blandè, partim minaciter revocare: ſed nihil effecit. Indignatus tandem gladio cædi mandat.

Lectione.

Romæ Secundianus Togatus, præfectus Decii, Verianus item pictor, & Marcellinus orator eloquentiſſimus, cùm verſus illo Virgilianos ex oraculis Sibyllæ deſcriptos legiſſent:

D

Vltima Cumæi venit jam carminis ætas, &c.

& conſtantiam Chriſtianorum exactè cognoviſſent, afflati divino Spiritu, religionem Chriſti ad martyrium uſque ſub Decio profeſſi ſunt. *Vincent. l.10.c.50.* Iiſdem quoque carminibus Pp. Papinianus Statius junior poeta ad Chriſtum converſus ſcribitur à Dante Aligero. *Gyrald. Dialog.4. Hiſt. poet.*

Joan. Damaſcenus, Meſuæ Judæi filius, Judæorum omnium doctiſſimus, Hæbraicis, Græciſque literis æquè eruditus, nemine cogente contulit ſeſe ad Chriſtianiſmum, & quia ſcripturas percalluit, ideò credidit in eum, quem in iis ſcriptum reperit, ipſo dicente: Scrutamini ſcripturas, illæ ſunt, quæ teſtimonium perhibent de me. Et iterùm: Si crederetis Moſi, crederetis forſitan & mihi. *Marul. l.2.c.7.*

Inveſtigatione.

Fl. Joſephus Matathiæ F. Judæus, hiſtoricus clariſſimus, annum ætatis ſextum decimum ingreſſus, trium ſectarum, quæ apud Judæos tum erant, Phariſæorum, Sadducæorum, & Eſſenorum placita omnia, duro victu, & magno labore expertus, cum Bano inſuper eremita magni nominis, qui frondibus E veſtiebatur, radicibus veſcebatur, lavacris frigidis æſtum libidinis reſtinguebat, per triennium vixit. Id quod ipſe in ſua vita teſtatur.

Eduinus, vel Hedvinus Northumbriæ rex in Anglia, cùm ab uxore Ethelberga, & Paulino antiſtite, & Honorio pontifice ad pietatem Chriſtianam capeſſendam incitaretur, non priùs parere voluit, quàm doctiſſimorum virorum diſputationibus auditis, Chriſtianam religionem rationi magis conſentaneam eſſe didicit. Voluit itaque Deus fortè hunc regem, qui id temporis ſapientiſſimus habebatur, rectè priùs ſuam religionem hæſitando perpendere, quemadmodùm Apoſtolus Thomas olim in exordio creſcentis Evangelii fecerat, quàm illam reciperet, quò ſcilicet alii nihil poſteà ſuſpicantes quin vera eſſet, multò cupidiſſimè animos ſuos eadem perfunderent. *Polydorus l.4. At Fulg. b.1.c.4.* tribuit hoc Ethelberto Cantiorum regi, invitante illum ad fidem Gregorio Magno per Auguſtinum monachum.

Diſputatione.

F

Berillus, Boſtrenæ Arabiæ urbis præſul, Servatorem noſtrum ante humanitatem non extitiſſe, nec propriam divinitatis ſubſtantiam, ſed tantùm Patris in ſe habuiſſe cenſebat. Cujus errorem Origenes ita repulit, ut tandem eum ad meliorem mentem revocarit. *Euſebius l.6.*

D. Auguſtinus Manichæorum hæreſi infectus, cum Fauſto illorum Epiſcopo dubia multa, quæ de cœlo, & ſideribus contra fidem mathematicam Manes ſcripſerat, proponeret, & ille auctoritatem tantùm Manetis pugnaret, philoſophicas demonſtrationes ſe planè ignorare fateretur, quem tamen alii omnium diſciplinarum peritiſſimum jactabant: ſuſpectum & doctorem, & doctrinam Manichæorum habere cœpit, cùm theoremata ejus de rebus naturalibus (quorum cognitionem quoque ad pietatem facere aſſereret) & ſenſui, & rationi reliquorum philoſophorum contraria eſſe videret. Veritatem enim omnem, à quocumque quacumque de re proferretur, à ſolo Deo pendere, ſibi certe perſuadebat. Quòd ſi Manes in naturalium cognitione mendax eſſet, in divinis multò magis mendacem eſſe poſſe ſuſpicabatur, quamvis ſe ſpiritum Dei ſanctum eſſe jactaret. Convulſa ergo hac impietatis illius ba- G ſi, indies inde magis, magiſque ab ea declinare cœpit, *lib.* 5. *Confeſſionum, cap.*7.

Recaredus rex Veſtgothorum in Hiſpania, patri ſuo Leovigildo, Arianæ ſectæ defenſori acerrimo, longè diſſimilis. Septuaginta duorum Epiſcoporum ſynodum an. Chriſti 594. per Hiſpanias, Franciam, Italiamque convocandam curavit, in qua de Chriſti divinitate conſtitueretur. Ibi Leander Hiſpalenſis Pontifex, cum Fulgentio, & Iſidoro epiſcopis adeò confutavit ſectam Arianam, ut Recaredus ipſe cum proceribus, & omni gente ſua renunciaret paterno, & gentili errori, & catholicos ſacerdotes ab exilio revocaret. *Joan. Magn. lib.16.c.*10.

Beſſario Trapezuntius, D. Baſilii inſtitutum profeſſus, patriarcha Nicænus, in Concilio Ferrarienſi ſub Eugenio IV. primus Græcorum errorem de Spiritus S. proceſſione reliquit unà cum Iſidoro archiepiſcopo Rutheno, & ipſum quoque Imp. Græcorum ſuo exemplo movit. Itaque ab Eugenio Cardinalis creatus, legationibus variis obitis: tandem è Gallia reverſus à Ludovico XI. rege re infecta, Ravennæ præ mœrore obiit. *Hieron. Garimb. in Vitis Pontificum.* H

Victoriis.

Achior Ammonitarum dux, conſpecto Holofernis capite à Judith abſciſſo, ſe cum tota ſua familia circumcidi fecit. *Judith.* 14.

Regio eſt ultra Ægyptum prope Indiam Æthiopiæ, cujus populi Azumitæ appellantur, ad quos Romani per Ægyptum interjacentem negociationis cauſa tranſire ſolebant. Inter Ægyptum verò, & Azumitarum regionem, Homeritarum terra interjacebat, in qua plurimi erant Judæi. Hi regi ſuo Domiano perſuadebant, ut Romanis mercatoribus tranſitum prohiberet. Rex Judæorum obſequens conſiliis, plurimos Romanos mercatores interfecit. Unde negotiationes Azumitarum, ac Indianorum detrimentum pati cœpere. Rex Adad motus querelis Azumitarum, ac Indianorum, Homeritenſi regi Domiano ea de cauſa bellum indixit, voto ſeſe aſtringens: Si victor ad ſuos rediret, ſe Chriſti fidem, pro cujus populo bellum gerebat, publicè ſuſcepturum eſſe. Prælio commiſſo, Domiano capto,